

DISPUTATIO JURIDICA INAUGURALIS

De

PECULIO

Quam

Decreto, atq; Auctoritate Nobilissimi  
Ictorum ordinis in celeberrimâ Aca-  
demâ Wittebergenſi,

Sub Præſidio

Dn. CHRISTIANI TAVBMANNI

J. U. D & P. P. Curia Electoralis, Scabinatus, ac Juridi-  
cæ Facultatis Aſſeſſoris, Præceptoris, Promoto-  
ris atque Affinis ætatem venerandi.

Pro ſummis in utroq; jure conſequentis

Honoribus ac Privilegiis.

in Auditorio Majori

ad d. Augusti

horis ante & pomeridianis

pub.lico examini ſubjicit

CHRISTIAN SIGISMUND Graff  
Lichtenburgo Saxo.

WITTEBERGÆ,

Excudebat JOANNES RÖHNERUS, Acad. Typogr. Anno 1647.

KOEN. BIBL.  
DER  
UNIVERS.  
HALLE.





FELICITER!

I.

**D**E P E C U L I O, variisque  
ejus speciebus, Christo Salvatore Gu-  
bernante, Inaugurali hâc Disputatio-  
ne pro ingenii modulo acturus, prin-  
cipiò *Definitio* ejus consideranda venit. Quemad-  
modum enim jactis anchoris stabilitur navis con-  
tra procellas: sic definitionibus cogitur mens no-  
stra in tranquillum materiæ portum contra anci-  
pites opinionum fluctus. Et quamvis in jure no-  
stro, *secundum l. 202. de R. 1.* omnis definitio periculosa,  
conemur tamen, ut maximè non consequamur.  
Nam studiorum salutarium, *ex mente Seneca de vit.  
beat. c. 20.* etiam citra effectum laudanda tractatio est.

II.

Et est alia Nominalis, alia Realis.

III.

Nominalis complectitur Etymologiam, Ho-  
monymiam, & Synonimiam.

A 2

IV. Ety-

32

## Etymologia notationem nominis ostendit.

**P**eculium dictum quasi pusilla pecunia, sive patrimonium pusillum. *Ulpian. in l. 5. D. de Pecul.* Et est diminutivum à pecuniâ, quæ dicitur à pecudibus, in quibus tota veterum substantia consistebat, iisque necessaria sibi quæque comparabant. Ut sunt fundus, domus, esculenta, poculenta. *Godd. deus ad l. pecunia 4. D. d. V. S.* Undè pecunia verbum generaliter sumtum significat non modo rem mobilem ac quantitatem, sed & rem immobilem: neque solum species & corpora, verum etiam jura ac universitatem. *l. pecunia. 178. l. pecunia. 222. l. supè. 53. D. d. V. S.* Quod verò dicitur à notâ pecudis pecuniam nomen accepisse idè, quod pecudis nota primum æs signavit, inde haud inferri potest: Ergo pecunia tantum in ære signato consistit. Idè enim pecudis nota signabatur æs, ut succederet pecudibus in exercitio commerciorum. *Godd. ad d. l. 4.* Cùm verò res mobiles tanquam commodiores in exercendis negotijs plerumque homines usurpent, & vocabuli pecunia origo à functione & commerciorum usu promanet, pro subjecta materia ad harum significationem restringitur interdum: Idè; dupliciter: Accipitur enim vel pro omni re mobili; aut pro solâ signatâ pecuniâ, seu nummo. Illud pro re subjecta, apparet, aut speciem ac certum corpus; aut genus genere suo consistens: aut res in quantitate ponderis, mensura numeri consistens significat. *l. 2. §. 1. D. de reb. credit.* Hoc strictissime ac propriè sumtum in solis nummis aureis atq; argenteis consistit, quod pariter colligere licet aut ex re subjectâ aut ex notâ adjectione *l. 8. §. 3. ad Scitum Maced. l. si quis. 4. §. 1. D. de reb. cred.* Et in hâc significatione pecunia inter res mobiles semper numeratur. *Nov. 22. c. 45. Sixtin. de Regulibus l. 2. c. 7. n. 1. & c. Tholos. syntag. jur. l. 29. c. 14.* Et in divisione hereditatis uxori licet in nominibus assignata, defunctâ eâ indifferenter marito cedit. Non verò quæ ex bonis immobilibus præstanda. *Carpzov. in Jurispr. for. part. 3. Const. 21. def. 15. Moller lib. 1. fem. 41. n. 6. Pinell. ad l. 1. p. 2. n. 44. de bon. matern.*

## Consideratâ Etymologiâ, se offert Ho- monymia.

Sumitur autem vocabulum peculij varie in Jure nostro. Nonnunquam denotat extremum illud, quod Paterfamilias in recondito habet. *Peculium* enim dicitur, quod præsidij causa seponitur. *l. f. chorus. 79. §. 1. de Legat. 3. Giphon. in comm. ad Just. tit. per quas person. nob. acqu. Gail. libr. 2. Obs. 11. n. 8.* Quandoq; usurpatur pro omni patrimonio etiam liberi hominis, suiq; juris, & plerumq; diminutivè patrimonium *peculium* vocatur. *l. 16. pr. D. ad Sctam Trebell. Meier. in Colleg. Argentor. lib. 15. §. 2.* Interdum significat *bona paraphernalia* mulieris. *l. 9. §. 3. D. de Jure Dor.* quæ sunt bona, extra causam dotis constituta, & cum marito traduntur utenda, fruenda, dici solent *parapherna*: cum ab ipsâ uxore possidentur ac servantur, proprium ejus *peculium*. *d. l. 9. Wesparat. d. t. n. fin.* Ultimò deniq; ac propriè *peculium* dicitur id, quod filius vel servus patre vel domino permittente proprio jure tractat. Vide *Fr. Taubm. in comm. ad Plaut. Afn. Act. 3. sc. 1. n. 91.*

## Homonymiæ succedit Synonymia.

Vocatur *Peculium* interdum bona pecularia seu res peculiares. *§. actiones autem 10. 7. de Action.* interdum quasi patrimonium filijfamilias seu servi. *l. 39. 41. §. ult. D. de pecul.* Dicitur autè *quasi patrimonium* ad differentiam veri. Nam patrimonium propriè non cadit in servos aut filiosfamilias, ut nec *peculium* in liberos. *l. paterfamilias 182. D. d. V. S.* Quâvis enim sæpius in Jure reperitur patremfamilias habere *peculium*, filiumq; familias patrimonium: id tamen non aliter, nisi comparatione quâdem est accipiendum. Si igitur is, qui sui juris est, possidet ea bona, quæ servus aut filiusfamilias habet, dicitur patrimonium. Et si alieno juri subiectus habet ea bona, quæ patrimonium aliàs significant, dicitur *peculium*, & inde *patrimonium* est *peculium* hominis sui juris *peculium* hominis alieno juri subiecti. *Vult. ad. 7. §. actiones quadam. 16. d.*

*Ad Peculium naturale nomen est, patrimonium, civile. Hillig. D. E. lib. 9. c. 5. lit. A. Mynf. ad d. §. 10. d. Actior.*

## VII.

### Traditâ definitione Nominali, Realem assumo.

Definitur autem *peculium*, quod sit *universitas eorum, quae sibi familias aut servus patre vel domino permittente seu legita disponente, habet separata. Dn. Franzk. in Comm. ad Pand. de Pecul. Generis loco ponitur Universitas. Appellatur autem Universitas. Ibidem. 20. §. 10. D. de heredit. pet. Et totum quid. l. hinc queritur. 19. §. 1. v. Marcellus. D. de Pecul. quod vindicari nequit. l. 56. D. d. R. V. ubi Julianns ita scribit. Vindicatio non ut gregis ita & peculij recepta est, sed res singulas is, cui legatum peculium est, peter. Quae lex difficultatem quandam continere videtur, cum in l. §. per hanc ult. D. d. R. V. dicatur; Gregem, quae sub universitate comprehenditur, posse vindicari. Sed notandum, quod legato peculio nomen peculij extinguitur, resolvaturque, ita, ut in persona Legatarij peculium considerari non possit, sed res peculiares. Emanuel. Mendez. de Castro in repetitione L. cum oportet 6. C. de bon. quae liber. part. 1. n. 4. Et est universitas eorum scilicet omnium, in quibus peculium consistit. In peculio autem res esse possunt omnes, & mobiles, & soli. l. quam tuberonis 7. §. 4. D. de pec. legat. quae & augeri & minui possunt. l. peculium. 40. D. de pecul. Ubi peculium aequiparatur homini, quoniam crescit, decrescit, ac moritur. Meier. d. l. 9. Quia scilicet variatur per qualitates, ac si animam haberet juxta Pythagoreos, qui omne, quod crescit, animam habere dicunt. Cujac. 9. African. in l. frater à fratre. Don. En. l. 5. c. 50. l. E. Imò & nomina debitorum, tanquam tertiam constituentia speciem d. l. 7. §. 4. & 23. §. 2. D. Re judic. Pin. in rubr. C. de bon. matern. p. 1. n. 24. Unde in donatione bonorum mobilium & immobilium, etiam adjecta dictione quorumcunque, actiones & jura non contineri asserit. Dn. Carpzov. Jur. for. p. 2. c. 22. d. 27. n. 5. Gail. 2. O. 11. n. 10. Differentia specifica denotatur in verbo *separata*: Quia separata debent esse bona à patrimonio patrisfamilias seu domini, quae ad peculium pertinent. l. de peculij 4. D. de pec. Et quidem cum effectu, quia non statim, quod dominus voluit ex re sua peculij*



peculij esse, peculium facit, sed si tradidit. Desideratur quippe naturalis datio. *l. non statim. §. D. d. tit.* Et re, non verbis augenda sunt peculia. *l. 4. §. 1. d. t.*

### VIII.

Dividitur autem in Militare atq; Paganum.

### IX.

Militare aut est Castrense, aut quasi Castrense.

Castrense peculium est, quod filiofamilias in militia agenti donatum est; seu, quod ipse in militia acquisivit, quod nisi militaret, acquisiturus non fuisset. *l. castrense. ii. D. de cast. pec.* Genus quod attinet, cum in generali definitione traditum, iterum repetere superfluum erit. Differentiam specificam constituit *militia armata*. Necessario enim debet occasione militiae esse acquisitum. Nam quod erat & sine militiae acquisiturus, id peculium ejus castrense non est. *d. l. ii.* Et quidem *veri ac justa militia* requiritur. Quanam vero justa censeatur, videndum. Et vocatur militia seu bellum justum dupliciter, vel ratione causae efficientis, vel formae. Quoad illam, justa atq; legitima bellandi causa ut addit, necesse est. Etenim qui arma suscipere vult, sedulo pensare debet, an plus satis sit lacesitus, nec ullo alio modo certissimo exitio se suosque eximere, possit, adeoque utile Reip. sit. Quo etiam collimat *Mutianus* in oratione sua pehes *Tacitum lib. 2. Hist. c. 76.* Vide *Grotium de jure belli ac pacis lib. 2. c. 24. §. 8. & seq.* Verum causas hasce tanquam interiores, & in abscondito latentes perscrutari eam admodum sit difficile, & ab alijs quam rerum gnaris arcanorumque conscijs raro seu nunquam cerni possint, in ambiguo de formâ judicandum. Et illud *bellum justum legitimumq;* demum dicendum, quod à summo Principe seu populo superiore non recognoscere geritur, publicaeque ei contra quem suscipitur, indictum (quamvis diffidationem in omni bello haud necessariam esse, censeat *Alb. Gentil. de jure bell. l. 2. c. 2.*) *Hofes* enim sunt quibus bellum publice populus Romanus decrevit, vel ipsi populo Romano; ceteri latrunculi vel praedones vocantur. *l. 24. D. de captiv. & postlim. rev. Bocer. de bell. & duell. c. 1. n. 9. Schröder. in delin. jur. bell. §. 1.*

X. Causa

## X.

Causa hujus peculij efficiens aut est remota,  
aut propinqua.

Illa est jus, quod militantibus subvenit ex Constitut. Imp. Et quidem auctoritate *D. Augusti* ijs primum concessum, quod postea *Optimi Trajani* Imperatoris consensu approbatum, & denique *D. Hadriani* subscriptione ad militiã dimissos & veteranos extensum fuit. *pr. f. Quibus non est perm. facere testam.* Quod autem in *§. 1. f. per quas person. nob. acqu.* Imperator Justin dicit, olim omne acquisitum fuisse parentibus prater castrensia peculia, intelligendum non de retrò lapsis seculis, sed de annis 500. circiter ante ejus ætatem. *Bachov. ad d. §.* Hæc consistit aut in ipsã occupatione bellica, quando scilicet filiusfamilias sibi in militiã aliquid acquisivit. *l. ii. D. de Cast. pecul.* Aut in liberalitate aliorum ob militiam contingente. Donare autem potest uxor marito, seu pater filio. *l. 3. d. t. seu cognatus cognato. d. l. ii. b. t.* Quod idem de extraneo dicendum putat *Bachov. f. per quas person. nob. acqu. §. 1.* Efficitur quoque peculium castrense, si commilitionem hæredem instituit miles. Sed quid sentiendum de more illo in bellis nostris recepto, quo Duces seu Cæsaranei eorum, qui sub vexillis suis militarunt, hæreditatem sibi adjudicant exclusis legitimis hæredibus? Contrà rationem quodammodo eam esse puto. Nisi legitimam doceant consuetudinem: quam tamen non aliter valere arbitror, nisi liberis ac parentibus salva sit legitima. *arg. l. 36. §. 2. C. d. in off. testam. vide Treutl. Vol. 1. Diss. 13. §. ii. l. D. Dn. Carpz. p. 3. Const. 12. def. 1. & seq.*

## XI.

Causam efficientem sequitur materialis.

## XII.

Materiam Logici duplicem statuunt in qua  
seu subjectum, & circa quam, seu objectum.

XIII, In

## In qua seu Subjectum, sunt filij familias in militia constituti.

Omnes filij familias, qui milites esse, castrensia quoque pecunia habere possunt. Militare autem possunt, qui expressâ lege non prohibentur. Quales sunt latrones, *l. 24. D. de captiv. & postlim. revers.* Is qui ad hostem defecit & redijt, *l. 3. §. 10. D. de Re milit.* Item adulterij & judicij cujusdam publici damnatus, *l. 4. §. 7. d. i.* Qui status controversiam patiuntur, licet reverâ liberi sint, per id tempus tamen militiae nomen dare ijs interdictum, seu ex libertate in servitutem, seu contra perantur. Nec hi, qui ingenui bonâ fide serviunt, militare possunt, *l. 8. d. i.* Et enumeratis quidem peculium non conceditur, quia militia indigni judicantur. Quibus similes habentur hodie circumforanei, vagi, pagatim grassantes, Gard vnd Hermlöse Knechte. *Schulz. Synops. 7. de milit. restam. l. 1. d.* Quamvis enim lege non prohibeantur, indignos se tamen reddunt, cum miles nemo, quam qui sacramentum præstitit, atque stipendia fecit, esse videatur. *tot. tit. C. de his qui non implentis stipendiis sacr. am. solut. sunt.* Similiter excludendi sunt pueri, mulieres meritoria, aliq; assecla exercitus, *der Troß Huren vnd Duben /* quod genus hominum à militari exercitu planè arceri juberetur. *Aruckels Brieff auff die Teutschen Knechte. Maximilia. II. zu Speyer d. An. 1570. art. 68. Gail. l. 1. de P. P. c. 4.* Fœminas quoque hujus peculij haud capaces esse contra *Kornmannum de jure virg. & Dn. D. Francif. Rom. disp. de pecul. §. 5. B.* sentio, quia ad militiam inidonea. Ob inconstantiam enim animi vix fortitudinis capaces esse queunt. Et cum ab omnibus muneribus civilibus sint removendæ. *l. 2. D. de R. 7.* bello se immiscere ijs nefas, quod maximè munus civile ac publicum. Et si ob pudorem sexus in judicio comparere, & pro alijs postulare non licitum. *d. l. 2.* non immeritò arma induere, & in bella abire sexui huic incongruum erit. Adducunt quidem exempla illustrium fœminarum, Amazonum & aliarum: & è recentioribus præcipuè allegatur puella ista rustica in Agro Aurelianensi. *Johanna d' air. vulgò la pucelle d' Orleans*

*d. Orleans.* Cui haud abfimilis *Kenava* illuſtri mulierum Harle-  
menſium manipulo præſidens: cujus virtutem ac cætera perſe-  
quitur *Strada de bello Belg. lib. 7. p. 424.* Sed exempla hæc ſunt ra-  
riſſima. Tantum igitur facere nequeunt, ut mulieribus indi-  
ſtinctè id tribuant, quod jus ijs denegavit. Nec ſatis conſtat,  
utrum in exemplis allegatis vera operata fuerit virtus: an verò  
ex temeritate & muliebri impotentia talia patrârint, vel malis  
artibus laudem hanc ſibi quaſiverint. Quippe refertur, puel-  
lam iſtam ruſticam tandem ab Anglis captam & tanquam ve-  
nificam fuiſſe crematam, dubium an innocenti morte. At hæ  
perſonæ, de quibus haſtenus memoratum, peculium ideò non  
habent, quia nec milites ſunt. Dantur quidam, qui non mili-  
tant, imò à militia prohibentur, & ijs tamen peculium concedi-  
tur; e.g. *Clerici*, qui milites eſſe non poſſunt; interdictum enim  
eſt illis militiâ, quoniam deſinit eſſe miles ſeculi, qui factus eſt  
miles Chriſti. 2. *Feudor. 21. 26. §. qui clericus adde Conſtit. Elect. tit.*  
*von eben und Wandel der Pfarhern.* Igitur ſi militare tales non  
poſſunt, nec ad feudi ſucceſſionem admittendi, etiamſi per ſub-  
ſtitutum ſervitia præſtare velint. Prius jam probatum. Po-  
ſtariuſ evincit feudorum natura, quæ ob ſervitia imprimis dari  
ſolent. Quæ cum perſonalia ſint, certæque cujuſdam perſonæ  
induſtriam reſpiciant, per alium expediri non poſſunt. *Schulz.*  
*Synopſ. feudal. c. 8. n. 92. Finck. diſp. F. 6. §. 16. lit. B. Berl. part. 3. cond. 39. n. 5.*  
*Magnificus Juridice Facultatis Ordinarius Dn. Jer. Reuſnerus in diſput.*  
*ſuis feudal. diſp. 6. §. 65. 66. 67. 68.* Licet Jure Saxonico contrarium ob-  
tineat, dum ſecundum hoc Eccleſiaſtica perſonæ, præſtitis per  
ſubſtitutum ſervitijs, ad feudi ſucceſſionem admittantur. *Conſt.*  
*Elect. 28. part. 3. in pr.* Modò in conſeſſione feudi novi perſonæ in-  
duſtria nominatim non electa; aut expreſſè in inveſtitura fuerit  
cautum, perſonaliter vaſallum, ejuſque hæredes laicos deſervire  
oportere. *Dn. Carpz. 7. f. d. C. def. 2. §. 3.* Atq; hæc quidem in clericis  
quoad ſucceſſionem feudi obtinent, manente nihilominus, tales  
perſonas peculia caſtrenſia habere poſſe, & quidem ideò, quia  
tanquam cœleſtis exercitus milites, militibus (ſcil. ſecularibus)  
quoad doctrinam & animarum ſalutem proſpiciunt, & bona  
ſua non aliter, quam in bello acquirunt. Nec minus inhabiles  
ſunt

sunt hujus peculiij *Consularij bellici, Commissarij, Secretarij ac judices castrenses*. Bella siquidem non tam robore ac viribus, quam prudentiâ atque consilio instituuntur, geruntur, administrantur. *Finckelb. Obs. 46. n. 15.* Id quod maxime Tiberius apud *Tacitum lib. 2. Ann. c. 26.* confirmat, dum ad Germanicum ita perscribit: *Se novies à D. Augusto in Germaniam missum, plura consilio, quam vi perfecisse.* Verit hoc paraphrasis Freinsheimiana: quibus se ipsum (arte scilicet atq; consilio) cum novies ab Augusto in Germaniam missus esset, plura multo, quam vi aperta consecutum esse. v. de hoc Tib. monito. *Scopion. Amir. l. 5. disc. 6.*

#### XIV.

### Materia circa quam seu Objectum, sunt res ratione militiæ acquiratæ.

Omnes igitur res in bello captæ, quæ occupantibus ita acquiruntur, ut dominium illarum irrevocaliter nanciscantur. §. 17. *J. d. R. D.* peculium castrense constituere possunt. Universæ quidem res tam mobiles quam immobiles, tam animatæ, quam inanimatæ, seu religiosæ, seu sanctæ (omnes enim hostium occupatione prophanæ fiunt *l. 36. D. de Reli. & sumt. funer.*) capientibus cedunt, secundum *d. §. 17.* Qui tamen hanc distinctionem patitur, ut ea bona scilicet, quæ reverâ ita capi possunt, ut propria maneant, sub hoc intellectu comprehendantur. Reliqua quidem auferuntur quoque hostibus, sed postea restitui debent, Imperatori & Reip. sicut *res omnes immobiles* Reip. servantur. *l. 20. §. 1. de captiv. & postlim. revers. l. 31. D. d. J. F.* Pro debilitando enim hoste, & augendâ potentiâ victoris bellum geritur. *Godd. ad l. 3. §. 1. d. V. S. Hen. d. 4. ad J. 0. 7. Gerh. dec. 4. q. 5. dis. Dn. Gross. Colleg. J. dec. 3. q. 2. Carpz. p. 4. C. 35. def. 8.* Cæteræ *res mobiles* tam corporales quam incorporales statim occupantibus, modò non in fugâ recuperatæ *Dn. Carpz. ib. def. 9.* acquiruntur pleno jure. *d. §. 17.* Et quidem absolutè & irrevocabiler etiam Duce belli non dividente *d. §. 17. Dambaud. prax. crim. c. 82. n. 20. Finck. O. 56. n. 21. Ungeb. Ex. 5. q. 5. Treuil. V. 2. d. 10. b. 2. D. & ib. Bach.* Ita ut jure quoque in alios transferri nec ab antiquis dominis absque pretio vindicari

B 2

posint

possint. *Dn. Carpz. ib. def. 8.* In tantum ut liberi homines ab hostibus capti servi fiant capientium. *l. 7. pr. & l. 3. d. A. R. D.* sed an capti in bello inter Christianos servi quoque fiant? Quod negandum puto. Sicut enim foederati Romanorum capti servi non efficiantur. *l. non dubio. 7. D. de captiv. & postlim. rev.* ita quoque qui per salutarem regenerationis lavaerum Christo consecrati indeque fraternitatis foedere conjuncti sunt, servituti non subiciuntur. *c. ad mensum. 24. c. 11. q. 3.* Sed praestito victori pretio, quod *Lützev* Graeci, Galli *Rancou* vocant, dimittuntur. *Dn. Groß. in Collegio Instit. Decad. tit. 6. Dambaud. ib. n. 7.* Et hoc *Lützev* occupantem manet militem. *per jur. alleg. Reuters bestallung. g. Maxim. II. zu Spiner de Anno 1570. art. 95. Heig. ad §. 7. d. R. D.* nisi captus fuerit Dux belli vel militum tribunus; quo casu miles premio recepto tenetur captivum belli officialibus offerre. *Reuters bestallung. artic. 94.* Inter res mobiles hoc in passu numerantur & nomina ac obligationes. Unde si quis hosti in bello chirographum eripiat, habet jus exigendi debitum comprehensum. Jura enim indistincte loquuntur capta ab hostibus jure Gentium statim acquiri. *l. 5. & 7. D. de A. R. D. §. idem ea. f. de R. D.* Chirographo autem legitime acquisito, ejus debitum competere expressi juris est. *l. 1. C. de Donat. l. qui chirographum. 59. de Legat. 3. l. 3. §. 1. & 2. D. de liber. leg.* Adeo ut pace quoque facta juri postliminij aut restitutioni non sit locus: nisi pactis expressis fuerit comprehensum. *P. Gudehnus de jure pacis c. 4. Bocer. de bello c. 15. n. 7. Ayala de Jur. & offic. bell. l. 1. c. 5. n. 40.* Verum praedicta locum habent tantum in rebus hostilibus aut iis, in quibus jus aliquod hosti competit. Ea itaque bona, quae in oppidis, aut praesidijs hostium reperiuntur nec subditorum aut Ducis sunt, occupari non possunt, ideoque nec peculio annumerari. Et sic quidem de rebus in bello captis sentiendum puto. Quibus annecto stipendia atque salaria militum, aut earum personarum, quae iis aequiparantur: quae etsi in numerata pecunia consistant, si tamen in locum stipendiorum accipiant immobilia, peculium nihilominus augent. Si enim ea, quae ex rebus in castris acquisitis emerit, in peculio censentur esse, uti constat ex *l. si praestite. 1. C. de pecul. castr.* multo magis illa, quae in locum stipendiorum successerunt, peculij jure fruuntur.

Quid verò de his bonis dicendum, quæ à propinquis seu quoque extraneis in militiam proficiscentibus donantur, an in mobilibus seu immobilibus consistere debeant? Et solas res mobiles ad peculium castrense primò constituendum pertinere verius videtur, eum in militiam eunti parum profint immobilia, sicut apparet ex *l. filiusfam. 4. C. Famil. ercisc.* Postea tamen res quoque immobiles accedere possunt militiæ intuitu *d. l. 4.*

XV.

Forma Peculij Castrensis est, quæ ipsam essentiam exhibet.

Pater illud, quod peculium castrense in *justa militiâ* debeat esse quaesitum, (ergo non quod in viis publicis urbibus aut pagis ausu temerario privato subditis surreptum. *Carpz. p. 2. Const. 35. def. 10. Finckelth. d. O. 56.*) necessario ad substantiam ejus requiritur, ut nullum planè jus; neque proprietatis neque usufructus patri in eo competat; qui, si rem aliquam peculiarem filijs subtraxerit, furtum fecisse dicitur. *l. si quis. 52. §. 6. D. de furt.* Qua de causa nec alienare illam quoquo modo potest, eum sit res aliena: E peculio enim quid solvens rem alienam solvere dicitur. *l. qui res. 98. §. 1. D. de solut.* Nullo itaque modo rem istam pater auferre potest, an retineat filium in potestate, seu emancipet; quia nihil ex hoc peculio pro præmio emancipationis accipit. *l. cum oportet. 6. C. de bon. que lib.* Neque creditoribus patris ullum jus in hoc peculio competit. *pr. Inst. quibus non est perm. fac. testam.* Et pater filij nomine actiones castrensis peculij non aliter movere potest, nisi satisfactione præstita, filium rem ratam habiturum. *l. 18. §. ult. D. de cast. pecul. Rauch. part. 1. q. 2. n. 44.* Si tamen filius minorennis adhuc sit, peculij castrensis habet administrationem. *Dn. Carpz. lib. 5. tit. 8. Resp. 84. n. 67. vide Hart. Pistor. ac ceteros ibi allegatos.*

## XVI.

Finis peculij castrensis est, ut milites remunerationem quandam pro operâ præstitâ accipiant, & ad alia præstanda incitentur.

Militum benevolentiam ac studium robustissimam Imperij partem esse, experiundo cognitum est; & magna imperia magnis exercitiis continenda, optimè calluit *D. Augustus Imperator*, qui in principio Imperij inter arcana dominationis reputavit, militem donis largitionibusque pellicere ac devincire. *Tacit. lib. 1. Annal. c. 2. & 10.* Quippe sciebat, quod militum animi nullâ re magis quam pecunia & donis caperentur. Ut rectè *Aurelius Victor in Caesarib. c. 26.* allegante *Böcklero* in commentar. *ad Tacit. 15. capitâ prioris Annal. libri d. c. 2.* dixerit. *Id genus hominum pecunie cupidius, fidumq; ac bonum solo questu.* Quod quoque benè intellexit *Absalon*, qui extorturus patri imperium, primum omnium animos militum sibi conciliavit. *Clapm. de arcan. Rerum. l. 3. c. 6.* Non autem *Galba*: ideoque & auctoritas ejus labare statim cepit. Sicut id notant cumprimis in ejus vitâ ac moribus *Dr. Buckner, in Orat. de Principatu Galbae.* itemq; & *Dr. Boxhorn, in decisivis ms. ad Tacit. lib. 1. Histor. c. 49. decis. 12.* Qui idem in *Chronologiâ ms. Severum* refert inter alia consilia filiis data, & hoc quoq; reliquisse, *ut militum benevolentiam conservarent.* His probè consideratis antea laudatus *Imperator Augustus* hoc privilegium de castrensi peculio militibus concessit, quod fluxu temporis confirmatum aliquoties fuit ac auctum.

## XVII.

Effectus peculij castrensis est jus, quod filiofamilias in bona castrensia competit.

Quamvis ratione hujus peculij pro patrefamilias habeatur, reverà tamen talis non est, sed manet in potestate patris. Unde & filiusfamilias miles matrimonium contrahens consensus



sum patris impetrare necesse habet. *l. filiusfamilias. 35. D. d. Rit. nupt.*  
Et *Ulpianus* graviter monet, etiam militibus pietatis rationem in  
parentes constare debere, pronuntians, eum indignum militiâ,  
qui parentes contempfit. *l. 1. §. 3. D. de Obscq. parent. & patron. præ-*  
*stand. Schneidw. ad tit. Inst. Quib. mod. jus patr. potest. solvit. §. 3. n. 5. ibid.*  
*Bachov.* Hisce tamen non obstantibus, jura illi tantum tribuunt,  
(respectu scilicet castrensis peculij) quantum patrifamilias. *l. 2. D. ad*  
*Scto Maced.* Pleno itaque jure peculium hoc ad filiumfamilias  
pertinet. *l. errat. 3. C. de Castr. pecul. Donell. lib. 9. comm. c. 5.* Illudque  
suo nomine possidet. *l. libertus 17. §. 2. D. ad. Municip.* Tametsi aliâs  
in alienâ potestate existentes possidere non possint. *l. 49. D. de*  
*Acqu. vel amitt. poss.* Et proinde facultatem usucapiendi habet.  
*l. 4. §. 1. D. de Usurpat. & Usucap.* Non solum autem ipse res legitimo  
modo acquirit, sed & per servum peculij castrensis hoc rectè  
facit. *l. patermilite. 15. §. 3. D. de Castr. pecul.* Porro efficit hoc  
peculium, ut alienare pro lubitu illud possit filiusfamilias tam  
per donationem inter vivos, quàm mortis causâ. *l. filiusfam. 7. §.*  
*ult. de Donat.* Et quidem sine patris consensu. *Berl. part. 3. Concl. 1.*  
*n. 22.* Item feudum constituere. *Schultz. Syn. F. c. 4. n. 44.* Verùm  
non tantum modis singularibus alienare res suas potest, sed &  
per modum universitatis, cum habeat testamenti factionem  
activam, quæ aliâs alieno juri subjectis non competit. *pr. 7. Qui-*  
*bus non est perm. fac. testam. l. filiusfam. 14. D. de Castr. pecul. l. qui testa-*  
*mento. 20. §. 2. D. Qui testam. facere possunt.* In tantum quidem, ut  
testamentum de castrensi peculio factum, querelâ inofficiosi  
testamenti non subiaceat tam de jure Cod. quam Novelli. *Wesemb.*  
*parat. de inoff. testam. n. 9. Treutl. V. 1. disp. 13. §. 3. Fachin. lib. 6. contröv.*  
*c. 74. Arum. Exerc. Inst. 10. §. 13. Hæn. disp. Inst. 9. §. 5.* A principio verò  
saltem eos tangebatur hoc privilegium, qui ipso actu militabant:  
postea verò ad militiâ dimissos, veteranos, & eos, qui ob valeru-  
dinem, seu aliam causam desinunt esse milites, extensum fuit,  
ita tamen, ut jure communi testamentum facerent. *Bachov. ad pr.*  
*Inst. quib. non est perm. fac. testam.* In castris autem constituti se-  
cundum morem militare testamentum faciunt, nec ulla solennia requi-  
runtur, modò constet de militis voluntate, quæ quòquo modo  
seu in scriptura, seu sine eâ inveniatur, valet testamentum ex vo-  
luntate

luntate ejus *pr. Inst. de mil. testam. l. i. D. eod.* Et neque testes, neque quicquam aliud ad substantialem hujus testamenti formam requiritur. *d. pr. mil. testam. l. in fraudem is. §. i. D. de testam. milit. Gerhard. Exercit. Inst. 7. q. 6. Dn. Ungeb. Exercit. Justi. 8. q. 4.* Ut autem constet de militis voluntate, jure nostro hodierno in ipso quidem praelio & conflictu sola scriptura sufficit, in castris vero degentes ad minimum duos testes adhibere debent. vide *Constitut. Imperij von Notarien* de anno 1512. Colon. publ. rubr. von *Testamenten §. vnd sollen die Notarien. in fin. Schulz. synopf. Inst. Carpzov. part. 3. Const. 4. def. 26.* Quando vero alijs in locis quam castris e.g. hybernis aut ædibus suis degunt, neutiquam privilegio hoc militari gaudent, sed necessario adhibitis solennibus testari tenentur. Hinc apparet, frustra illos esse, qui statuunt, ob solam imperitiam hoc privilegium militibus fuisse concessum, cum imperitia illorum extra occupationes æquè duret; & tamen illo casu tenentur jure communi testari; sicut hoc ipsum latè deducit *Bachov. ad pr. Inst. de mil. testam.* De Stationarijs & Limitaneis quid statuendum queritur? Et distinctione hoc expediendum viderur: Disting. nimirum inter loca, quibus milites insunt. Aut enim in hostium incursionibus obnoxij, nullà factà pace seu inducijs, excubant: Et pro tutelâ Imperij omnibus soluti curis expeditissimi operam, armis jugiter & studiosè dant. *l. militum in fin. C. de procur. Zoannet de Rom. Imp. n. 51. §. seq.* Aut in locis planè tutis, seu tempore pacis atque induciarum, præsidij loco reperiuntur. Priori modo eodem privilegio eos frui haud absurdum erit, cum eadem militet ratio, periculum scilicet, quod tunc temporis adest. Secus verò posteriori casu, quando scilicet ab hostium metu liberi castellis seu munitionibus præfunt, ob cessationem videlicet rationis. *Finckelsh. Observ. 46. n. 8. Carpzov. part. 3. Const. 4. def. 28. Schulz. synopf. Inst. de mil. test. l. A. Bachov. ad Tr. Vol. 2. Disp. 10. §. 6. l. C. Harpr. ad pr. Inst. de mil. testam. n. 22.* Minime ergò Equites aurati aurei velleris, Periscelidis, D. Michaelis &c. Cessante enim causa privilegij, exulet simul privilegium. *l. Titia Sejo. §. usuras. de leg. 2. Schroder in delin. juris bell. §. 8. Praterèa* ratione hujus peculij filijfamilias in obligationibus quoque atq; contractibus singulare quid habent. Obligari enim filium patri,

patris; & patrem filio, non posse certum est, quoniam filius ac pater pro unâ personâ habentur, *per vulgata*: aliter tamen se res habet in peculio castrensi *l. Pater 15. §. 1. D. de Castr. pecul. ubi dicitur: Si stipulanti filio spondeat, siquidem ex causa peculij castrensis: tenebit stipulatio, ceterum ex qualibet aliâ causâ non tenebit.* Ita ut contra patrem, quoque; veniâ prius à iudice impetratâ, ipsi agere concessum *l. 4. §. 13. D. de in jus voc. Rosb. praxi civ. tit. 10. n. 8.* Quæ tamen hodiè eo ipso, dùm iudex patrem citat ad instâtiâ filij simul, intelligitur factâ *Carpz. p. 1. C. 2. d. 26.* Et licet filius familias ex mutui acceptione obligari nequeat, vi scilicet Scti Macedoniani, pecuniæ enim datio, quæ tanquam instrumentum est ad omnem luxum atque nequitiam, & verè, ut dicitur, *irritamentum malorum*, perniciosâ parentibus visa est *l. 3. §. 1. in autem. 3. D. de Scto Maced.* Exceptionem tamen hoc Sctum habet, si filius peculium castrense possideat; cessat scilicet usque ad quantitatem peculij, cùm in eo filij familias vice patrumfam. fungantur *l. 2. d. 1. Wes. ibid. n. 5. §. 6. Dn. Carpzov. lib. 2. tit. 10. Res. 105. n. 17.* In dubio autem miles semper presumitur capere & expendere mutuum in causas castrenses, *l. fin. §. ult. C. ad Sct. Maced.* Ceterum obligari & conveniri potest filius familias quoad peculium castrense, & in tantum quidem, ut nec creditoribus castrensibus de hoc peculio teneatur respondere. *l. 7. D. de castr. pecul. sed in subsidium solummodo, deficientibus alijs rebus. l. 4. C. de Execut. rei judicar.* Habet tamen privilegium competentia *d. l. 7.* quod privilegium de jure Saxon. quoque locum habet. *Dn. Carpzov. part. 1. Const. 32. defe. 15.* Ita ut capi & incarcerari quoque non possit ex causâ aris alieni, *arg. l. 6. §. l. 14. ff. de re jud. Manzius in patroc. de pauperat. dec. 1. q. 7. n. 39. Berl. p. 2. concl. 28. n. 26. Shneider. J. de milit. testam.* etiam in foro Saxonico non obstante *Const. Elelector. 22. p. 2. arg. l. 35. pr. C. de inoff. testam. l. 27. C. de testam. l. 32. §. ult. C. de appellat. nisi contrarium usu receptum de quo testatur Wes. ad Schn. d. l.* Denique efficit peculium castrens, quod filius à collatione liberetur respectu ipsius, quæ licet regulariter necessaria est in successione descendenti, quia omnes liberi, sine ullâ emancipationis aut sui iuris distinctione, sibi invicem conferunt. *Wesens. parat. de collat. bonor. p. 5.* attamen hæc collatio locum non habet in peculio castrensi,

C

quod

quod pleno sibi iure quæsitum habet filius familias, l. 2. C. de castr. pecul. licet à parentibus sit quæsitum l. 1. cod. & à collationis regulâ excipiuntur bona castrensia. l. 1. §. nec castrense. 15. D. de collat. l. f. C. cod. Boer. de bell. c. 16. §. 17. Quod idem de Jure Saxon. obtinet, sicuti tradit Dn. Carpz. part. 3. const. 11. def. 9. n. 2. §. 3. Schulz. Synops. Inst. Per quas person. nob. acq. lit. C. Res tamen expeditorias das Hæger rãhte / quas à patre habet, in legitimam imputare tenetur. Dn. Carpz. 16. n. 6. Rauchb. p. 2. q. 17. n. 28. Ultimus denique effectus peculij castrensis in successione spectatur. Quanquam enim filio familias plena libertas disponendi concessa circa bona castrensia, si tamen intestatus moritur, nullis liberis vel fratribus superstitibus castrensia defunctorum esse talia, & tanquam profectitia ad parentem pertinent jure communi. pr. Inst. de milit. testam. id est jure Peculij. l. 1. 2. §. 9. D. de castr. pecul. Quod quidem jure Novell. 118. c. 2. immutatum. esse statuunt. Glossa & Dd. quamplurimi. Verum quoniam nullo alio quam hujus cap. argumento hoc asseverant, ibidem autem nullum verbum de castrensi peculio invenitur, sed generalis succedendi ratio traditur, à jure communi recedendum haud puto, cum semper juri communi per jus speciale & privilegium derogetur. Et quod non expresse mutatur, quare stare prohibetur? l. sancimus. 27. C. de testam. l. præcipimus. 32. in fin. C. de appellat. Eneke, de privileg. par. §. liber. pr. 10. n. 46. Hottoman. Consil. 20. p. 67.

### XVIII.

Quasi castrense peculium est, quod filiofamilias ex militia togatâ, seu intuitu illius obvenit.

Differentiæ specificæ causa est militia togata, quæ non quidem in pertractatione armorum, sed in gerendis officijs ac muneribus publicis consistit, & non tantum de ijs intelligendum, qui stipendio publico aluntur, sed de omnibus, qui auctoritate publicâ talibus officijs præfunt. l. fin. C. de inoff. testam. Non tamen accipiendum est hoc privilegium de mechanicis publicis atque alijs

alijs opificarijs, sed de ijs, qui in dignitatibus & administratio-  
nibus publicis sunt positi: uti apparet *ex d.l. ult. C. de inoff. testam.*  
*vide Bachov. Inst. Per quas personas nobis acqu. pr. n. 6. Erenk. d. h.*  
*privil. 10. n. 36.*

### XIX.

#### Causa efficiens hujus peculij est vel remo- ta, vel Propinqua.

Illam est privilegium, quod constituit Imperat. militibus in to-  
gatâ militiâ agentibus ad exemplum armata ex singulari gratia  
concessum fuit. *Em. Mendez. de castr. in qu. castr. pec. n. 161.* ita, ut ea  
omnia, quæ exinde capiunt, proprio jure possideant. *d.l. ult.* Hæc  
côstitit vel in liberalitate publicâ seu privatâ ratione togatâ mi-  
litiâ, quæ constat administratione & functione officiorum pu-  
blicorum. Qui autem ea obire cupiunt, bonis liberalibusq; arti-  
bus debent esse instructi. Per artes autem liberales intelligun-  
tur eæ, quæ tradunt disciplinas ac præcepta ad exitum aliquem  
utilem ac bonum in hac vitâ ducentia. Facessant igitur artes  
ludricæ, malæ ac prohibitæ, quarum mentio fit partim *l. 1. D. de his*  
*qui not. infam.* ubi infamiâ Sæctatores earum notantur. *vid. Wes-*  
*parat. ibid. n. 5. Tr. V. 1. Disp. 9. §. 5. lit. E.* partim *tt. C. de Matbemat. &*  
*Malef.*

### XX.

#### Materia in qua seu subjectum, sunt personæ hujus peculij capaces.

Primum exemplum peculij quasi castrensis est in Clerico, qui  
plenum jus disponendi habet de bonis sibi quasitis. *l. sacrosancta.*  
*33. C. de Episcop. & Cler.* Cum enim Clericus miles cœlestis dicatur,  
meritò quoque privilegio togatæ militiæ gaudet, sicut miles se-  
cularis armata. *Mendez. in qu. castr. pec. n. 161.* Intelliguntur autè per  
clericos, Episcopi, Presbyteri, Diaconi, Subdiaconi, Cantores,  
Lectores, ac similes, officijs divinis destinati. *d.l. 33. pr. & l. 49.*  
*aut. presbyteros. C. de Episcop. & cler.* Vid. *Erenk. priv. 10. n. 32.* Epi-  
scopi

scopi autem, eum Episcopalis dignitas solvat jus patriæ potestatis. *Auth. Sed Episcopalis C. d. t.* peculium hodiè habere non possunt. *arg. l. 82. d. v. S. lult. §. 2. C. de inoff. testam. Pac. anal. C. l. i. t. 3. n. 107. Roman. d. disp. 8. g. B.* Num verò hæc privilegia ad Clericos primæ tonsuræ pertineant, dubitatur? Iisdem autem eos quoque invidiam non iniquum, quia clericalis ordo est, uti constat *ex cap. contingat. u. D. de Etate & qualir.* privilegium autem *ds. auth.* omnibus clericis datum est; E. clericis primæ tonsuræ; qui inter eos communerantur. Necessè tamen est, ut ipso actu clerici sint, & ordini dicati; si enim cogitatione saltem clericatus aliquid accipiant, quasi castrense non erit, sicuti castrense peculium nemo habet, nisi actu militans. *l. u. D. de castr. pecul.* Et ut occasione & ratione clericatus illud acquirant. Peculium enim quasi castrense inventum est ad exemplum castr. pecul. *d. lult. §. i. C. de inoff. testam. vide Enekl. d. l. 32.* Assessores quoque filii familias velut castrense peculium habent. *l. velut 7. C. de Assess.* Item Advocati & Patroni causarum. *l. fori. 4. l. cum advocatis. §. l. Advocati. 14. C. de Advocat. divers. judic.* ubi Advocati, qui dirimunt ambigua causarum fata, suæ defensionis viribus innisi, æquiperantur militibus quoad officia, meritò itaque eadem jura ac privilegia consequuntur. An verò privilegium hoc ad nostri seculi Advocatos pertineat, quæritur? Et negant id nonnulli, quoniam de publico salarium non habent. Contrarium tamen verius puto opinione plurimorum Dd. Et si enim è publico salaria non habeant Advocati, attamen in locum istorum successerunt merces atque salaria clientum; nec Advocatis leges tribuunt hoc privilegium hanc ob causam, quod salarium publicum accipiant, sed quod officium publicum gerant. Omnes igitur Advocati in matriculam Advocatorum recepti, atque auctoritate publicâ confirmati, quasi castrensis peculij privilegio fruuntur, parum solliciti, quisnam salarium ijs præbeat. *Enekl. l. alleg. n. 33.* Et hæc quidem de honorario seu salario legitime acquisito intelligenda. Lucrum itaque, ex pacto cum clientulis, de quotâ litis, vel de certâ re, super quâ litigabatur, inuito proveniens, quasi castrensis peculij non censetur. *Carpzov. part. 1. Const. 1. def. 24. n. 3.* Sed ita de Advocatis scire habet; aliud autem dicendum de procuratoribus. *Wesemb.*

pari

*parat. de Procur. n. 10.* Quod enim ex procuratione quaeritur, est  
quaestus communis negotiationis, quia procuratoris officium  
vile est. *S. fin. Inst. de Excep. vide Bach. ad Tr. Vol. i. disp. 9. §. ult. lit. D.*  
Limitatur tamen hoc in Procuratoribus Camerae Imperialis,  
quorum officium non vile, sed honorabile, tam ratione persona-  
rum quam loci. *Gail. lib. 1. Obs. 33. n. 6.* Pater enumeratos & Praesides  
provinciae, Consules, Praefecti Legionum; Palatini, Archiatri,  
Magistri studiorum liberalium, (sub quibus Doctores quoque &  
Licentiatii comprehenduntur; Licentiatius enim Doctori aequi-  
paratur. *arg. l. pen. D. de testib.*) & tandem generaliter omnes, qui in  
diversis dignitatibus vel administrationibus positi sunt. *d. l. ult. C.*  
*de inoff. testam.* Num autem illud, quod de Doctoribus Magistrisque;  
affirmatur ad Scholares quoque pertineat? Negandum puto,  
quia inter Doctores atque Magistros neutquam numerantur,  
& sic quicquid acquirunt, auctoritate publica non faciunt. *Eman.*  
*Mendez. d. l. in quas. castr. pec. n. 169.* Ultimo foemina quoque pecu-  
lium quasi castrense habet ex singulari concessione secundum  
*l. eum multa. 7. C. de bonis quae liber. Mendez. d. l. n. 186.*

## XXI.

Materia circa quam seu Objectum, sunt res,  
quae in hoc peculium veniunt.

Quemadmodum vero milites filii familias res omnes in  
bello acquisite, aut ratione atque occasione militiae obvien-  
tes, in castrensi peculio habent: ita quoque filii familias in mi-  
litiâ rogata constituti, omnes res tali modo acquisite, privilegio  
quasi castrensis peculij possident. Res itaque, quas Cleri-  
cus ex clericatu, seu ratione ipsius, ex donatione parentum aut  
aliorum accepit, tanquam peculium quasi castrense habet; *Men-  
dez d. l. n. 163.* Et pari modo Advocati atque Patroni causarum  
omnia, quae demum cunque professione sua acquirunt, peculio  
quasi castrensi annumerant; sicuti & Assessores, Doctores, Ma-  
gistri & alij hujus peculij capaces. Ad quod hodie quoque re-  
feruntur sumtus Doctoratus; Vestes & libri, ac similia Doctori  
obvenientia. *Besold. diss. de stud. magistr. & c. 3. n. 1.* nisi pater ex-  
presse

pressè contrarium declaraverit. *Em. Mendez. d. l. n. 177.* Sicuti ea omnia quæ filio studiorum causâ à patre donantur. *ib. n. 169.* Uadè sumrus studiorum à patre concessos filius regulariter conferre non tenetur. *Finck. O. n.* Et hoc non solum in patre sed & in matre procedit. *Hartm. Pist. q. 19. n. 1. 2.* Patitur tamen aliquot limitationes, quas vide penes alleg. autor. *n. 4. 5. 6. & seq.*

## XXII.

### Formam peculij quasi Castrensis ipsa substantia tradit.

Requiritur autem, uti ex præcedentibus constat, ad peculij quasi castrensis constitutionem, ut sint res ex togatâ seu inermi militia quæsitæ. Perinde autem est, an proprio labore, seu largitionibus publicis, seu privatis ratione officiorum publicorum sint comparata. *Erenk. d. l. n. 33.* Præterâ de substantia ejus est, ut sit à paternis bonis planè separatam, tam quoad proprietatem, quàm quoad usumfructum, sicuti traditum de peculio castrensi, Confiscatis tamen ob delictum filij bonis, in hisce peculij pater ex singulari patriæ potestatis privilegio præfertur fisco. *l. 3. C. de bon proscript. Sixt. de Regal l. 2. c. 12. n. 55.* Excepto crimine læsæ Majestatis per *l. quisquis. §. filij verò. C. ad l. Jul. Maj. ib. n. 16.* Habet & hoc commune cum illo, ut personæ detur, atque inhæreat. *l. ult. C. de inoff. testam. l. cum lege 49. C. de Episc. op. & cleric. l. cum advocatio. §. C. de Advocat. divers. judic.* Ita ut personæ mutatione definat peculium. *l. per procuratorem 90. in fin. de Acq. vel. omitt. hered.* Si enim filij familias sui juris efficiuntur, tunc mutatur in alia bona, atque cum cæteris rebus confunditur, similemque accipit fortunam. *Erenk. d. l. n. 48.*

## XXIII.

### Finis est, ut remuneretur studium ac operam ipsius, qui Remp. tuentur.

Non solum armis decoratam, sed & legibus oportet esse, armatam Imperatoriam majestatem, ut utrumque tempus & belli & pacis rectè possit gubernari, ait Imperat. *Justin. in proem. Inst. Zachs.*



*Zach. Victor. de exempt. Imp. l. 1. Cam. bor. sub. cent. 1. c. 2. Reinking. de Regim. sec. l. 2. cl. 2. c. 1. § cl. 3. c. 1.* Quo nihil aliud significare voluit, quam Reip. robur, incrementum ac decrementum consistere in administratione, ad quam si bonis artibus imbuti ac multarum rerum experientia clari admoveantur, omnia prospere succedere, si contrà, optimum quemque statum perturbari. Reip. enim administratio literatis ac precipue Jurisperitis committenda. *Dn. Pr. esis in Colleg. Inst. diff. 1. proam. Ax. 15.* Quapropter sapientes Imperatores non minus solliciti fuere de ijs, qui consilijs, seu re aliâ quavis ad Kemp. conservandam aliquid praestiterunt, quam qui ab hostium incurso eam liberarunt. Quemadmodum satis constat ex praesenti peculij nostri materia, ubi eadem privilegia tributa legimus togatis quam armatis militibus. *§. ult. 7. de testam. milit.* Imperator enim concedens hoc privilegium, id solum intendit, ut dulcedine praemij viros claros pelliceret ad Reip. onera subeunda. Sed num Ordo militaris jure sibi praecedentiam adroget? suscipiendo judicium ne in propria veluti causa videatur sententiam ferre. *Consultantur Dn. Lauerbach. in tractat. de lit. §. armis. Tim. Fab. ad Inst. d. 1. tb. 14. Ungebauer Exerc. 1. q. 7. Agricola de aetate ineunt. aff. c. 43.*

#### XXIV.

Effectus peculij quasi castrensis est jus, quod militibus togatis competit.

Cum ad exemplum castrensis peculij quasi castrense inventum, ideoque & merito iisdem privilegij gaudent milites togati, quam armati. Habentur igitur respectu hujus peculij pro patribusfam. & alienare res suas, atque de ijs disponere pro lubitu possunt, etiam inconsultis parentibus. *Giph. Inst. §. ult. de restam. milit.* Imò invitis. *Anton. Faber in C. l. §. 1. de patr. potestat. d. 3. n. 3. Boer. d. c. 17. n. 2.* Interim tamen patria potestate non semper sunt soluti ij, qui officijs publicis praesunt, nisi jus expresse eos exemerit, uti sunt in patriciatus dignitate constituti. *§. 4. Inst. Quib. mod. I. P. S.* Intelliguntur autem hoc in loco non illi *Patrichi*, qui à Senatoribus Rom. ac Patribus olim à Romulo conscripti erant



erant, sed isti, qui sub Augustis esse cœperunt. *l. 3. C. d. Consul. & veluti parentes principis l. ult. eod.* sicuti hodiè sunt Consiliarij Imperatoris & Cameræ Imperialis. *Vultej. Schneidew. add. tit. S. filiusfamilias n. 1. z. Goth. in notis ad Schneidew.* ubi hanc exemptionem extendit ad illos quoque, qui sunt in fraternitate regiâ & equestri, ut *Equites aurei velleris* in Hispaniâ, à Philippo bono Duce Burgundiæ instituti. De quorum institutione ac privilegijs vide *Fam. Strad. de Bell. Belgico lib. 4. p. 183. lib. 7. pag. 369.* Sancti *Michaël*, in Galliâ, à Ludovico XI. instituti, quorum in locum postea ab Henrico III. celebris Ordo, *S. Spiritus* surrogatus, in quem non nisi excellæ nobilitatis viri recipiuntur. Dignissimus ac antiquissimus antea erat *S. Mich. Ordo*, sed exiluerat receptis in eum cujusvis generis hominibus. *Dn. Boxhorn. in chronol. ms. sub Imperio Rudolpb. II.* Nec non *Periscelidis* in Angliâ, qui sub Eduardo Rege institutus fuit à Reginâ, cui inter saltandû exciderat periscelis, eam nobilis quidam ex astantibus humo sublata indidit genubus Reginæ, quod cum cæteris indecentius videretur, Regina respondit: *Honteux soit, qui mal y pense; Infamis esto qui malum suscipatur.* Hinc ista quoq; verba in periscelide (quæ signum est ordinis) adscripta. Patronus hujus Ordinis est Gregorius. *idem Boxhorn. sub Ludov. Bav. & de equitibus, eorum privilegijs, atque similibus Job. Linn. de Jure publ. l. 6. c. 2.* Doctrinæ verò dignitas minimè liberat filium a familia à patria potestate, *Treutl. Vol. I. disp. 2. §. 12. l. C. Schneidew. in S. filiusfam. Inst. Quibus modis l. P. S.* quia in nullo jure reperitur, dignitatem Docturatus sacra paterna derimere; patria autem potestas jure debet dissolvi. Nec obstat, quod hæc dignitas penes Romanos fuit incognita, successit enim hic gradus in locum facultatis de jure respondendi, quæ nexum patriæ potestatis nequaquam dissolvebat, quo posito, tenendum, nec Doctoratus gradum efficere hoc posse, cum surrogatum sapiat naturam ejus in ejus locum surrogatum. Confirmatur quoque, quod milites non exeant patriâ potestate, uti supra traditum, ab unâ verò militiâ ad alteram benè infertur, *Harprecht cum allegatis ad dict. tit. §. S. n. g.* Quocirca togati milites, quoad hoc peculium, armatis similes æstimantur. Habent igitur testamenti factionem, ita tamen, ut testamenta condant secundum modum communem.

S. ult.

*S. ult. Inst. de testam. milit. Arum. Exerc. 7. §. 9. Ludw. disp. 1. 7. §. 9. A. Et omnes quidem indistincte, qui peculia quasi castrensis possident, hoc privilegio fruuntur, uti patet ex l. ult. C. de inoff. testam. Bachov. ad d. S. ult. Ceterum equiparantur ijs in successione, collatione, obligatione & alijs; ut competentiae, & quod non possint ob debitum civile carcerari. Manz. dist. tractat. q. 7. n. 34. Treutl. Vol. 2. d. 17. §. 6. B.*

XXV.

Haecenus peculium militare perfurtavi, aggredior nunc paganum.

XXVI.

Quod dividitur in Profectitium, & Adventitium.

XXVII.

Illud vel Servorum, vel Filiorum familias.

XXVIII.

Servorum peculium est, quod servus à rationibus dominicis concessione domini habet separatum.

Cum servus omnia, quae acquirit, domino acquirit, nihil utique proprium habet, sed labore ac operâ suâ res dominicas auget. Necessariò autem concessio domini requiritur, quare hanc concessionem loco differentiae specificae pono. Non enim id peculij est, cujus servus seorsim à Domino rationem habuit, sed quod Dominus ipse separavit, summam servi rationem discernens. l. 4. D. de pecul. Meier Coll. Argent. lib. 15. tit. 1. §. 1. Tholos. Syntag. jur. §. 29. c. 14 n. 12.

D

XXIX.

## Causa efficiens est seu remota, seu propinqua.

Illam constituit ipse dominus *l. 4. pr. l. 7. §. 3. D. de pecul. l. 12. que in fraudem credit.* seu domina. *l. 3. §. 2. d. r.* Item plures domini unius servi peculium concedere possunt. *l. 1. §. ult. l. 15. 19. §. ult. h. r.* Et dominus nudæ proprietatis. *l. 2. l. 19. §. 1. vers. que questio. d. r.* Nec non maritus in servo dotali, ut & uxor. *l. 19. de pec. bonæ fidei possessor. l. 1. §. ult. all. tit.* & alij, quos vide penes Meier loco alleg. *h. 5.* Hanc perficit servi industria seu frugalitas. Contingebat enim sapissimè, ut servi essent egregij artifices, ut Pictores, Mufici & alij. Quicquid igitur hisce artibus lucrabantur, id omne peculio accedebat. Non solum autem per artificia, verum etiam per frugalitatem augebant illud, sicuti dicitur *apud Ter. in Phorm. Quod ille de dimisso comparit miser &c.* Quamvis hoc potius intelligendum putet Bachov. de illo, quod clam comparit domino non concedente. *in pr. 7. per quas personas nobis acqu. vide Taubm. ad Plaut. Stich. act. 1. sc. 2. vers. 3. & Laurent. Pignor. de servis p. 24.*

## Materia in qua sunt servi hujus peculij solum capaces.

Servorum nullam differentiam esse dicit Imp. Justin. *§. ult. 7. de Jure personar.* quoad statum scilicet, quoad officia quippè variè distinguuntur. Et erant quidem omnes servi, sed diversis præfecti muneribus, quæ in triplici distinctione fuere. *arg. §. pœna. in fin. l. de Injur. & in l. sed est. 15. §. 1. D. de usufr. 7.* Fit mentio quoq; dignitatis servorum *ibid. §. 1.* & varia conditio servorum proponitur. Quæ negotia dominorum curabant, optimo loco erant, dicebanturq; Actores, Atrienses. vide *Taubm. in d. comm. in Afrin. Act. 2. Scen. 1. v. 16.* Vocabantur quoque *ordinary*, qui in peculio suo habebant viarios, quibus ipsi imperabant, eorumque quasi domini erant. *l. si servus.*

*l. si servus. 17. in fin. D. de Pecul. Don. Enucl. lib. 9. c. 6. B. Sed quia vicarius  
contervus ordinarij reverà erat, qui non minus quam ille verus  
servus, & diversitas hæc ex toto nutu domini pendeat, nul-  
lam servorum differentiam agnosco cum Bachov. ad §. ult. de Jure  
person. Appellabantur autem ratione officiorum variè, alij aqua-  
rij, Suppellecticarij, Hostiarij, Paparii que. Schneidew. ad Inst. d. l. &  
Mysing. ib. Et prolixè de varijs eorum apud veteres ministerijs  
prædictus Pignorius all. tract. Et de atate servorum publicorum.  
B. Agricola in de atar. in eunt. offic. cap. 45. Statuliberi verò an sint  
servi quaritur? Et puto eos esse. l. 6. l. 9. & l. 29. D. de statulib. Trentl.  
V. 1. disp. 2. §. 2. C. Riem. dec. 1. quest. 10. Ad scriptos, verò nò, quia certo  
tantum loco erant adscripti, similes tamen servis esse non nego;  
sicuti & colonos, & homines proprios, quos in Polonia *Kmetshones*  
nominari ait Treul. d. l. E. Uti & *monachi* aequiparantur servis,  
tùm quia nihil habent proprij, tum quia Abbati subjecti sunt.  
Schneidew. alleg. loco.*

### XXXI.

## Materia circa quam seu Objectum, sunt res huic peculio obnoxia.

Quod omnes res mobiles quàm soli, corporeæ ac incorpo-  
reæ in peculio esse possint, supra dictum fuit. In pecu-  
lium igitur servorum pariter hæc res omnes cadunt; si sci-  
licet à rationibus dominicis sint separata. l. 4. D. de Pecul. uti sunt  
vicarij. l. 7. §. 4. l. 17. pr. D. dit. Et per consequens vicarij vicariò-  
rum. l. 7. §. 3. dt. Ancillæ, l. 57. §. 2. eod. cum partu, l. 65. §. 1. de Rei  
vind. Pecora & equæ cum foetu. d. l. 57. §. 2. Vestimentum ita ne-  
cessarium, ut sit usus quotidiani, perpetui tamen sit usus, & ut  
custodiri à servo possit. l. 25. l. 40. §. 1. D. de pecul. Pecunia numerata.  
l. ult. pr. D. de donat. vel mutuò sumta. §. 4. F. quod cum eo qui in aliena  
potest. Quod servus ex pacto libertatis apud se depositum habet,  
ut domino tradat. l. 8. §. 5. de Pecul. leg. Res & pecunia dotalis. l. 33.  
D. solut. matr. Et hæc quidem mobiles fuere res; dantur & im-  
mobiles in hoc peculio, uti sunt aedes peculiare. l. 22. & seq. D. de  
pecul. l. 6. pr. de pecul. legat. cum fructibus. l. ult. D. quando de pecul.

D a

4810

32

*actio annalis est. Immo & incorporales, e. g. nomina debitorum.  
l. 7. §. 4. D. de pecul. & quod confervus debet. l. 8. §. 2. D. de pecul. leg.  
vide Colleg. Argentr. all. loco. §. 7.*

### XXXII.

## Forma hujus peculij consistit in sequentibus.

1. Necessario requiritur peculium servorum inesse patrimonio domini, & quicquid ei accedit, id omne acquiri domino. *l. 1. §. 1. D. de his qui sui vel alien. jur. servi enim nihil proprii habere possunt, quia ipsi sunt in commercio, & inter bona connumerantur; l. 13. pr. cum l. 1. §. 1. quibus ex causis majores in integr. rest.*  
2. Peculium servo vendito nunquam transfertur, nisi ita conventum; sive igitur exceperit, sive non, retinet peculium; & si res peculiariis ad emptorem pervenit furto servi, & condici potest, & ad exhibendum actione peti, & ex vendito, si quid peculio postmodum accessit, id venditori reddil. *29. 30. D. de contrab. emt.* 3. Natura peculij patitur, ut obligationi de eo accedere possit fidejussor, et si nihil sit in peculio. *l. 35. D. de Fidejuss. & mand.*

### XXXIII.

## Finis est negotiatio servi.

Acquiri non solum per nosmet ipsos, sed etiam per eos, quos in potestate habemus, dicit Imperat. Justin. *in pr. l. per quas person. cuiq; acquir.* Si itaque Domini servos habeant, de quorum industria ipsis constat, concedunt ijs negotiari in aliqua parte patrimonij, quod peculium vocatur; unde conditionem nostram meliorem per servos fieri posse dicitur in *l. 193. D. d. reg. jur.* Et ita possessionem cujuslibet rei acquisitam servi statim in dominos transferunt, quia possidere non possunt, *l. 49. D. de acqu. vel amitt. poss. Giph. ad §. idem vobis §. per quas pers. cuiq; acqu.* Licet enim plurimum facti inesse videatur possessioni *l. 1. §. 3. D. de acqu. vel amitt. poss.* interim & multum juris habet. *l. 49. d. t. Harpr. §. 3. §. per quas person. cuiq; acqu. n. 13. l. 3. 20. D. de usurp. & usucap.*  
Wes.

*Wes. r. ib. n. 3. & de acq. vel amitt. poss. n. 7. præsertim quoad effectum, quod per possessionem usucapimus rem. Distinguendum verò est circa possessionem; aut servus in causâ peculiari adeptus possessionem, aut non. Priori casu non necessaria est scientia domini, quia animus tenendi, qui requiritur, præsumitur in domino, quoad causam peculiarem. l. 1. §. 5. D. de acquir. vel amitt. poss. & l. nunquam. 31. §. 3. d. usurpat. & usucap. Posteriori autem præcedere debet iustus atque scientia domini, quia ratio d. l. i. tunc cessat, quod confirmatur à Bach. ad Inst. all. cit.*

### XXXIV.

#### Effectus est jus ex hoc peculio emergens.

Cùm servus jure civili pro nullo habeatur. l. 33. D. d. R. l. 13. D. Ne quis eum qui in jus voc. eximat. nec caput habere dicatur. l. 3. D. d. capit. min. istius juris quoque planè est expers. Quicquid igitur acquirit, domino cedit, prout sapius est memoratum, & in re peculiari absque jussu domini præcedente. Quod tamen limitandum in hæreditatis aditione; servus enim hæres in futuris sine expresso consensu & jussu domini nihil agit, cum hæreditatis aditio sit actus legitimus, qui per servum expediri nequit. l. 77. D. d. R. l. Bachov. ad §. 4. I. per quas personas cuiq. acqu. In reliquis autem negotiationibus ratione hujus peculij Dominus conveniri potest. *Giphan. comm. ad Inst. d. l.* Quapropter actionem de peculio Prætor intro duxit, motus scilicet summâ æquitate, quamvis jure civili nulla daretur; Ex facto enim & contractu alterius nemo obligatur, adeò, ut etiamsi pater ac filius una eademque persona esse intelligantur. l. fin. ante fin. C. de impub. & al. Subsist. tamen pater ex filij contractu & contrâ filius nec naturaliter obligatur. *l. C. Ne filius pro patre.* Verum Prætor æquitati studio assisimus non in solidum, sed in tantum, quantum peculij vires patiuntur, extendit, uti innuit Imper. in §. actiones quedam. 10. I. de Action. nisi dominus vel pater ratum habuerit, aut pecunia versa sit in utilitatem eorum. Licet enim servus seu filius fam. videatur è voluntate Domini seu patris contrahere, tamen illa voluntas non est absoluta, sed certa ac limitata, respectu scilicet quantitatis concessa in peculium. Datur autem tantummodò de peculio

D 3

pro-

profectitio, quod dominus servo, seu pater filio concessit, de quo paulò post in sequentibus. Cæterùm competit contrahenti cum servo habente peculium, etiam si quis ignorante domino cum servo contraxerit. *l. si quis servum. 29. in fin. D. de Pecul.* Et locum habet contra Dominum peculium servo concedentem, salvâ nihilominus obligatione, quæ cum servo contracta est; scilicet hoc effectu, ut si actum sit cum domino, servus naturaliter maneat obligatus, & sic quodocunque liber factus solvat, repetere non possit. *l. 14. D. d. O. & A. Bachov. ac Scheidew. ad §. 10. l. d. Actio.* Sicut autem contrahenti cum servo contra dominum datur hæc actio, ita quoque contrahenti cum Monacho contra Abbatem. Omnia enim jura loquentia de servis habent locum id Monachis in his, quæ possunt ijs aptari. vide *Zaf. & Schneidew. ad d. §. 10. & Eberhard. in Top. loc. 24. p. 274. n. 9.*

### XXXV.

Peculium filiorum familias profectitium est,  
quod ex re seu substantia patris filius-  
familias quæsitum.

Vocatur autem *profectitium*, quia à patre proficiscitur, uti hæc formulâ loquendi utitur Imperator *in §. sicutur liberi 7. per quas person.* Eodem modo *in l. profectitia. 5. pr. D. d. 7. D.* appellatur *das profectitia* illa, quæ parentum, fratrum seu cognatorum bonis constat. *Wes. in π. ib. n. 3. Treutl. Vol. 2. disp. 7. §. 2. A.* Differentia specifica videtur esse in verbis *Substantia patris*. Dicitur autem ex re vel Substantia patris, id est, propter rem scilicet, ideò, quod ex rebus vel occasione ipsius quocunque modo quæsitum sit, sicuti accipiuntur verba ex incendio *in l. 1. §. 2. D. de Incend. ruin. & naufrag.* tam pro loco incendij, quam propter incendium, hoc est propter tumultum vel trepidationem. *d. t. vid. Enenk. privil. 4. c. 2. n. 3.* ubi de vocabulo *ex re* plura tradit. Sumitur autem vocabulum *Res* hic latè, ut omnes res tam corporales, quam incorporales comprehendat, & rei appellatione causa ac jura quoque continentur. *l. 23. D. d. V. S.* Duplicem autem significatio-  
nem



nom res habet, aut jus seu causam, ob quam aliquid alicujus est, vel esse debet, aut juris objectum, de quo queritur, indicat. *Godd. in l. 8. § 23. de V. S.* Substantiæ vox idem valet, quod rei, quoniam quod uno loco substantia, altero res vocatur. *Enenk. d. l.*

### XXXVI.

## Causa efficiens iterum vel remota, vel propinqua.

Remota est pater, qui concessione suâ hoc peculium efficit. *Meier. Colleg. Arg. lib. 15. tit. 1. § 5.* Summa verò potestas jurè civili parentibus concessa fuit in liberos, uti constat *ex tit. de patr. potest.* ubi dicitur; *Nullos homines esse, qui talem in liberos habeant potestatem, qualem cives Romani.* Et eadem fermè potestas competeat olim parentibus in liberos, quæ dominis in servos, cum haberent jus vitæ & necis in illos. *l. in D. de lib. & posthum. l. fin. C. de patr. potest.* Licet autem hæc potestas quibusdam in locis coarctata fuerit, ut *l. in auditum. 2. D. ad L. Corn. de Sicar.* & acerbius puniantur ij, qui filios occiderunt. *l. in C. de his qui parent. vel lib. occid.* Attamen pluribus in partibus intacta mansit, ita ut pater filium possit exheredare, ex certis tamèn hodie causis, quæ omnes enumeratæ in *Nov. 115. Arum. Exerc. 10. § 2. Förster. lib. 2. Diss. 12. §. 28. Harpr. §. fin. I. de Exher. lib. n. 65.* Et castigare ac corrigere. *l. in C. de emendat. propinq.* ita ut etiam illum privatim incarcerare non prohibeatur, *Schneid. ad tit. Inst. de patr. potest. n. 28.* licet aliàs privatos carceres citra læsionem majestatis nemo habeat *Dm. Carpz. Prax. Crim. p. 3. q. CXI. n. 78. 79. 80. 81.* Multi itaque patriæ potestatis effectus adhuc reperiuntur, inter quos haud postremum locum sibi vendicat jus, quod parentes in bonis à semetipsis profectis habent, quæ vocantur peculium profectitium. vide *Schn. d. t. circa fin.* Propinqua est ipsa industria seu acquisitio filijfamilias. Quoties enim filiusfamilias in hoc peculio aliquid acquirit statim patri acquirit. *§. 1. Inst. per quas pers. cuiq. acqu.* Rationem autem, cur bona profectitia in totum patri acquirantur, *Justin.* ibidem ipse assignat, quod æquum sit, ut ad patrè revertatur, quod ex ejus bonis profectum est. *Harpr. ad d. t. §. n. 4.* nec momento consistit in ejus personâ. *l. 79. D. de acqu. vel omitt. heredit. Harpr. ad §. item vobis. 3. n. 4. d. t.*

n. 4. d. t. Evestigio itaque pater possidet, quamvis ignoret in sua potestate filium esse. l. 4. D. de acqu. vel amit. poss. Ille enim neque retinere, neque recuperare, neque adipisci possessionem rei peculiaris videtur. l. filius familias. 93. D. de R. I. Erenk. priv. l. 4. c. 3. n. 1.

### XXXVII.

## Materia in qua seu subjectum, est filius- familias.

Necessario autem requiritur filium potestati patriæ obnoxium esse. Soli enim filii familias habent peculium, non patres familias. l. 128. d. V. S. Meier. Colleg. Arg. d. loco. §. 6. Et quodcumque filius contrahit in hoc peculio, patris nomine videtur contrahere, cum intelligatur patrem voluntatem suam accomodasse; & sicut tutor simpliciter contrahens tutorio nomine agere videtur, l. post mortem. §. D. Quando ex facto tut. sic filius negotians creditur patris nomine facere, Em. Mendez. de castro dist. tract. in pecul. prof. n. 24.

### XXXVIII.

## Materia circa quam seu Objectum, sunt res quæ in hoc peculium cadunt.

Res omnes mobiles seu immobiles, corporales seu incorporales, quæ à patre profectæ sunt, seu contemplatione patris ad eum pervenerunt, huic peculio insunt, uti tradit Erenk. pr. 4. c. 2. n. 3. 4. §. seq. nisi probetur, de rebus ad patrem non pertinentibus esse. Erenk. d. l. n. 10. Vel filius sit actiosus, industrius ac callès, quiq; consueverit operari aliquid, ut omnibus de his factis constet, pater eontà pauper seu ignavus. Zas. ac Schn. ad. §. 10. Inst. de action. Nec semper ipsum factum patris requiritur, sed sola patris contemplatio; e.g. si ab extraneo aliquid filio obvenit patris intuitu. Contemplatione verò patris datum esse videtur, quando non erat aliàs daturus, nisi patris respectu; quæ, si filius meritis caret, semper præsumitur. Erenk. d. l. n. 5. Quando etiam filius lucratur pecuniâ patris, utpotè si ex ex pecuniâ patris usuras accepit.

cepit. *Azo in Summâ Cod. de bon. que lib. lucrum omne profectitium esse puto, quia contemplatione ipsius patris accedit. Si enim pecuniam à patre non accepisset, cesset quoque lucrum. gloss. in l. cum oportet. 6. C. de bon. que lib.* Est enim ex re & substantia patris; nec refert, quod secundum jus hodiernum usurae sint prohibita; & sic ex maleficio videantur acquisite. Licet enim ex maleficio questitum pater restituere teneatur, exinde tamen non sequitur, quod nequeat petere à filio, cum agatur nonnunquam, ut alij restituantur. *l. cum in plures. 60. §. messem. D. Locat. cond.* Acquiritur ergo patri, sed cum vitio, hoc est, ut teneatur ad restitutionem. *vide Euenk. d. l. n. 6. ubi allegat pro hac sententia Bald. in l. cum oportet. 6. C. de bon. que tiber. & in l. 1. §. 1. D. de his qui sui vel alieni juris.*

### XXXIX.

#### Forma hujus peculij essentiam constituit.

Necessarium requisitum peculij profectitij est, ut sit profectum ex re ac bonis patris, prout supra dictum: & patrimonio ejus inhæreat. *Meier Colleg. Argent. lib. 15. tit. 1. rb. 9.* ita ut proprietas & ususfructus patris sit. *§. 1. Inst. per quas person. cuiq; acqu.* Adeo ut in confiscationem bonorum filij delinquentis non veniat; cum pleno jure ad patrem pertineat. *l. 10. §. 6. Dd. vulg. & pup. subst. Sixtin. de Regal. l. 2. c. 12. n. 73.* Etiam si pater filio concesserit liberam & absolutam administrationem peculij profectitij: cum per hujusmodi concessionem non censeatur translata facultas per delictum vel alia ratione alienandi & efficiendi ut alius acquirat. *Gomez. var. resol. tom. 2. c. 15. n. 16.* Aut pater committat delictum, ex quo bona ejus veniunt confiscanda; propter spem succedendi, & propter illam preventionem, quam fecit pater tradendo ei peculium. *l. 3. §. sed utrum. vers. magis enim. D. de minor. Sixtin. ib. n. 77.* Nisi in crimine læsæ majestatis. *Gigas. tit. de pœn. comm. crim. læsæ majest. q. 13. n. 4.* Quod tamen ad filium crimen hoc perpetrantem non extendendum. *Gig. ib. q. 10. n. 12. Menoch. conf. 526. n. 12.* Quid verò censendum, si ex re patris quidem, operâ tamen & industriâ filii acquisitum? & *Bar-*  
E  
cal.

sol. ait in d. l. cum oportet. Partem, quam ex labore suo lucratus est, esse adventitiam, quam verò ex pecuniâ patris, profectitiam; quæ tamen distinctio rejicitur à Baldo. in d. l. Ego cum Eneuk: all. pr. 4. c. 2. n. 36. dicendum puto lucrum simpliciter profectitium esse, accessorium enim assumit naturam principalis. l. exempto. u. S. si quis rem. 17. D. de act. emt. & vendi: nec opera filij hic æstima- manda, cum filius ex debito reverentiæ paternæ ad tales operas teneatur. Schn: ad d. 10. J. de actione

## XL.

### Finis hujus peculij est negotiatio filijfamilias.

Quemadmodum per servos negotiare, & res suas meliores reddere potest dominus, ita & patrifam: licitum est per filium sua negotia expedire. Meier d. l. 9. 10. ita ut eodem modo per filium acquirat possessionem, quam per servum ratione scilicet hujus peculij; & licet filius ab alio possideatur, tamen acquirat patri possessionem, fit enim hæc acquisitio ratione patriæ potestatis non possessionis. Schn: ad S. possidere s. Inst. de interditt.

## XLI.

### Effectus est jus resultans ex hoc peculio.

Quamquam & proprietas & ususfructus patri acquiratur, §. 1. per quas person: cuiq; acqu: sicq; solum fit patri hoc peculium, unde & auferre & minuere potest, modo non fiat dolo & in fraudem creditorum. l. 4. l. 9. §. 4. D. de pecul: nihilominus tamen emolumentum quid inde accipiunt liberi. Nam donare filiofamilias de peculio profectitio ex justa causa licet. l. filiusfamilias 7. pr. §. 1. & 4. vel hoc specialiter illi sit cõcessum; tam mortis causâ quam inter vivos. d. D. d. donat. l. 7. §. 4. Testamentum verò nec cum cõsensu patris facere potest pr: §. 7. q. non est perm. fac. testam. Et executio ob debitum patris non potest fieri in eo. l. 3. §. 4. D. de immor: Mendez. d. tr: in pecul: prof: n. 44. Meier d. l. 6. 9. Obligatur autè pater in hoc peculio ex facto filij, licet expressè non consentiat; concessione enim administrationis consensisse videtur. l. 1. §. 5. D. de acqu: vel amitt: poss: quæ tamen non extendenda ad facultatem donandi seu per- dendi. l. 7. pr. D. d. donat: Meier d. l. 6. 9. Neq; si libera ipsi permis- fa. ad-

fa administratio; non enim ad hoc ei libera peculij administra-  
tio conceditur, ut perdat. *d. l. 2. pr. & l. 1. §. 1. D. que res pignor. vel  
hypothec. dat.* Et regulariter quidem ita se habent; fallit autem  
quibusdam in causis; ut 1. in mutuo, in quo neq; pater neq;  
filius obligantur, nisi in peculio castrensi, de quo supra 2. fallit in  
voto. *l. 2. §. 1. D. de pollicit.* quod tamen valere putat. *Mendez. d. t. in  
pecul. prof. n. 43.* si sit Deo factum, & pater nō statim contradixerit.  
*per cap. 30. Numer.* taciturnitate enim pater consentire videtur.  
*cap. qui tacet, de R. J. in 6to 3.* In hereditatis adicione, ex qua pater  
non obligatur, nisi expressè consentiat: *l. qui in aliena. 6. in pr. D.  
de acq. vel amit. hered. Harpr. ad §. item vobis 3. J. per quas person.  
cuiq; acquir n. 9. Erenk: d. l. pr. 4. c. 3. n. 9.* Sicuti verò obligati pot-  
est pater, ita & conveniri, actione scilicet de peculio, cujus natura  
aliquatenus in peculio servorum fuit explicata. Plura vide de  
hac actione apud *Schn: Zaf: ad d. §. 10. de Act. Oldendorp: class. 4. Act. 7.  
& Schulz. Synopf. §. tit. de Act. G.* ubi docet; quod nostris moribus  
filijsfam. mercaturam consensu patris exercentes, quoad nego-  
tiationem illam emancipati intelligantur, & per se obligari cre-  
dantur; ita ut in patrem nulla eo nomine actio competat. Suc-  
cedit autem pater filio solus in hoc peculio non jure heredita-  
rio, sed jure peculij *l. 2. C. de Pecul. castr.* Nihil enim in bonis pro-  
fectitiis immutatum fuit, in quibus filius familias nullum hære-  
dem habere poterat. *Mendez. d. l. in pecul. prof. n. 50.* Et mortuo pa-  
tre filius conferre hæc bona tenetur. *l. filia 12. C. de Collat. l. 13. C.  
fam. ercisc. Mend. d. l. n. 60.* Nisi à patre ipsi prælegatum. *Bald. conf.  
4. 70 Tusch. concl. pract. 197. P.*

## XLII.

Restat ultima species peculij pagani (non qua-  
si castrensis. *Bach. de act. disp. & Corall. 2.  
Roman. de pecul. lb. 11. A.*) quæ dicitur  
peculium adventitium.

E 2

XLIII.

XLIII.  
Et definitur, quod sita filiofamilias aliunde  
quàm à patre, seu militià vel armatâ,  
vel togata acquisitum.

Differentia specifica hujus peculij in hoc cernitur, quod neq; ex rebus paternis, neq; armis atq; officiis publicis acquisitum. *S. 2. J. per quas pers: cuiq; acquir:* Si igitur aliquid proprio labore atque industriâ citra professionem aliquam publicam lucratur, id in hoc peculium venit. *l. cum oportet. 6. C. de bon: qua: lib:* Quod & contingere potest liberalitate aliorum, puto, legato, donatione, aut hæreditate ei delatâ *d. l. 6.* Modò non respectu ipsius patris contingat, data enim contemplatione patris, ab ipso patre data videntur. *l. 45. §. 4. D. de acqu. vel omitt. hæredit. Hartm. Hartm. O. tit: 53. O. 12. n. 1. &c.* In dubio autem magis filij contemplatione quam patris relictum præsumitur. *l. ult. C. de usufr.* Nanciscitur autem in hoc peculio possessionem atq; dominium filiusfamilias. *Enenk. priv. 4. c. 3. n. 2.*

XLIV.  
Causa efficiens est vel remota, vel propinqua.

Remota est ipsum jus, quod ex constit: Principum filijsfamilias tale privilegium concessit. Olim enim nulla erat differentia peculiorum; uti apparet *ex tit. J. per quas person: cuiq; acquir:* & tam quoad proprietatem, quam usumfructum omnia ad patrem pertinebant; Postea verò ab Imperatoribus quibusdam, paucorum adventitiorum bonorum proprietates filiis fuit concessa: ut bonorum maternorum, & luerorum sponfaliorum. *tit: C. de bon: matern: l. 1. & l. 4. C. de bon: qua: lib: donec Justinianus Imperator religiosissimus liberis parcens, ac parentibus debitum honorem reservans ita constituit, ut omnia adventitia quoad usumfructu patri acquirerent, dominium autem apud eos remaneret. l. cum oportet. C. de bonis qua: lib: i: propinqua*

qua est industria ac opera filij, seu liberalitas aliorum. Contingit enim filios esse artifices, vel ministros aliorum, ita ut operibus suis aliquid sine ulla contemplatione patris nanciscantur. *Em. Mendez: in pecul. advent: p. 2. n. 77.* seu ob merita sua, aut spontaneo erga eos affectu à propinquis vel extraneis aliquid accipiant, quod omne in hoc peculium reputandum.

### XLV.

## Materia in qua seu subjectum, sunt personæ habiles hujus peculij.

Et quidem filios familias oportet esse eos, quibus aliquid extrinsecus obvenit. Hinc excluduntur emancipati, & naturales, quia non sunt in patriâ potestate. *S. ult. Inst. de Nupt: En. nk. pr. 4. c. 5. n. 2.* Eoq; casu dicitur melioris conditionis illegitimus, quam legitimus. *Mendez. d. l. n. 105.* Nihil tamen refert utrum in coelibatu vivant, an in matrimonio. Matrimonium enim non est modus solvendi patriam potestatem. Quod & de jure Saxónico locum obtinet in filio. *Dnus Carpz. P. 2. C. 10. def. 3.* Non autem in filiâ, quæ celebratis nuptiis statim patriâ potestate eximitur, licet adibus mensq; patris adhuc fruatur. *Id. def. 2.* Adeo ut matrimonio soluto haudquaquam in patriam potestatem recidat. *Wesemb. in parat. de his qui sui vel alien. jur. n. 2. Schulz: Synops. Inst. quib. mod. jus patr. potest. sol. lit. D.* Elocata itaque filia non patri, sed marito rerum suarum usum fructum acquirit. *Rauchb: p. 2. q. 2. n. 45. Dn. Carpz. p. 3. Const. 20. defn. 33 n. 6. & Const. 32. defn. 6. n. 5. Heig. p. 1. q. 19. n. 12.* Econtra filius etiam si longissime à patre distet, aut de pane patris non vivat, imò operas ei præstet ministeriales, prædictam tamen acquisitionem patri non aufert. *Carpz. ib. d. 7. Pin. ad l. 1. p. 1. n. 34.*

### XLVI.

## Materia circa quam seu objectum sunt res.

Et primò quidem huic peculio annumeratur illud, quod filius familias acquirit laboribus suis extra causam militiæ seu officii publici, secundum tradita à *Justin: in l. ult. C. de inoff. testam:*

E 3

vide

vide *Bach. ad §. 2. f. per quas person. cuiq. acq.* Secundò bona materna five materni generis, hoc est ea, quæ à matre; vel avo, aviâ, proavo, proaviâ maternis, fuerint donata filiofamilias, aut per successionem ab intestato seu ex testamento ad eum devoluta, sicuti habet, *Const. Constantini. & posteriorû Imper. in l. 1. & 2. C. de bon. matern.* Sed quid si in Ducatu vel comitatu filius per mortem matris succedat, an eorum ususfructus ad patrem quoq; pertineat? Et dicendum putò quod non, quia filius succedit matri in dignitate, sitq; Dux seu Comes, quæ dignitas eum à patriâ potestate liberat. *Eman. Mendez. in pecul. prof. n. 37.* Quod idem obtinet, & quidem multò magis in Rege, qui per maternam successionem regnum adeptus. Potestas enim patria est juris civilis; At Rex juri civili astrictus non est, sed omnibus legibus solutus, omnesq; dignitates, quibus aliquis exit è patriâ potestate, à Rege seu summo Principe fluunt. Absurdum itaq; foret, eum ipsum ad observationem patriâ potestatis obstrictum esse. *Mendez. d. l. n. 38.* Tertio ea quoq; bona hoc privilegio gaudent, quæ aliorum liberalitate accepit, ut quæ ex matrimonio, dote, vel donatione propter nuptias, sponsalibusq; acquiruntur. *Schn. f. per quas person. cuiq; acqu. n. 19.* Et ea, quæ liberis seu donatione simplici, legato aut hereditate obveniunt, ut & quæ à patre filio donantur. Licet enim donatio inter patrem & filium regulariter prohibita, ob bonè merita tamen & alias quasdam causas valet. *Euenk. priv. 4. c. 2 n. 14.* Quarto illud, quòd filiofamilias ex conventionè, vel transactione, vel Judicis sententiâ in compensationem acceptæ injuriæ datum, adventitium non profectitium esse putò. *Emz. Mendez. d. tr. in pecul. adv. n. 78. Pinell. ad l. 1. C. de bon. mat. p. 3. n. 105.*

## XL VII.

### Forma hujus peculij ipsam essentiam constituit.

Pertinet autem ad formam præter hoc, quod non ex re patris, sed extrinsecus proprijs laboribus seu alio quocunq; modo



do sine contemplatione patris ad eum perveniat, ut regulariter pater usufructum, filius proprietatem habeat. *l. cum oportet. C. de bon. qualib.* Itaque filio delictum committente hac bona non veniunt in confiscationem. Quia non sunt simpliciter & omni ex parte filij, patre scilicet in ijs usufructum habente. *d. l.* Et quia confiscatio ob delictum facta, quaedam est alienatio, quæ filio interdicta. *l. fin. §. filius autem. C. d. i. Gail. de P. P. l. 2. c. 13. n. 37. Covarr. var. resol. l. 2. c. 8. n. 7.* Quid verò patre delictum committente statuendum? Tunc mortem naturalem vel civilem quando passus fuerit, usufructum finire & cum proprietate consolidari. *§. finitur & ibi Dd. J. de usufr.* Sin minus; in confiscationem usufructum, vitæ usufructuarij durante, venire statuo *cum Sixtin. de Regal. l. 2. c. 12. n. 70.* Quia commoditas & fructuum perceptio ab usufructuario rectè alienari potest. *l. 12. §. 2. D. de usufr.* Et consequenter quoque confiscari. *arg. l. Imper. D. de jure fisci Boer. decis. 2. n. 4.* Dantur tamen aliquot casus, quibus plenum jus & proprietatem & usufructum filius habeat; quos recenset *Schneid. ad §. 1. J. per quas pers. cuiq. acq. Harpr. ibi. n. 8. & seq.* In quibus quoque patrem in confiscatione bonorum fisco præferendum esse *cum Sixtin. de Reg. n. 68. & Farinac. de delict. & pœn. l. 1. §. 3. q. 24. n. 6.* contra *Gail. de P. P. l. 2. c. 13. n. 37.* censeo. Si autem pater habet usufructum, intelligendum hoc est de formali, & à proprietate separato. *Pinell. ad l. 1. part. 2. n. 15. C. de bon. matern.* Et quidem omnium rerum etiam earum, quæ usu consumuntur, ob generalitatem textus *in l. 1. C. de bon. mnt. l. 4. & 6. C. de bon. qualib. Pinell. d. l. p. 2. n. 40.* Fructus autem isti patri pleno jure acquiruntur, & de illis tanquam de proprijs disponendi habet potestatem. *d. l. 6. §. 2.* Nisi filius familias in peculio isto habeat quoque partes metallicas, *Bergthell* sive *Ructus*, earum præventus seu reditus (*Ausbente*) patri non pleno jure, sed eorum usufructus tantum acquiritur. *Carpz. p. 3. c. 25. d. 1. & 5.* Et finitur hic usufructus morte patris, seu naturali, seu civili. *l. 6. §. cum autem. vers. post obitum C. de bon. qua lib. l. 16. §. ult. C. de usufr.* Non tamen morti filij; usufructus enim morte usufructuarij finitur non verò

verò proprietarij, l. 2. §. 1. D. quib. mod. usufr. mitt. Schr. f. de hered. ab intest. in Ord. succ. l. 14. Aut emancipatione filij, & tunc quidem olim pro pretio emancipationis pater retinebat tertiam proprietatis partem. §. 2. f. per quas pers. cuiq; acqu. Hodie verò per constitutionem Justin. patri pro tertiâ parte dominij, usufructus dimidiâ partis conceditur. d. l. 6. §. cum autem. 3. Earum scilicet rerum, quæ tempore emancipationis filius habet. An autem pater potestate dignitatibus filij solutâ usufructum quoq; amittat Riem. dec. 8. q. 2. ad f. sibi non liquere asserit. Affirmativa mihi arridet sententia, Contra Scip. Gentil. d. tr. de bon. matern. c. 7. Pinell. ad. l. 1. part. 1. n. 41. C. de bon. matern. Sed an filiofamilias feudi concessi usufructus patri quoque acquiratur? Negativè decido cum Magnif. Fac. Jurid: Ord. n. Dn. Jerem. Reusn: disput. feud. th. 121. Berlich. decis. 138. n. 4. Forster. D. 8. th. 5. Arum. D. F. 3. th. 39. Hillig: D. E. l. 10. c. 3. l. A. Finck. Disput. feud. 5. th. 20. Schulz. Synops: feudal. c. 5. n. 12. Ita ut nec commoditatem usufructus habeat. Bachov. ad §. 1. f. per quas pers. cuiq; acqu. Heig p. 2. q. 12. n. 16. Nisi pater inops sit, aut egeat. ib. arg. l. 50. ff. ad Sc. Trebell.

#### XLVIII.

Finis est, ut æqualitas servetur inter liberos atq; parentes.

Æqualitatem Concordiæ matrem esse, dicit Wefenb. in parat. de Collat. bon. Quam quoque semper observasse Imperatorem nostrum Justinianum passim in jure nostro apparet; cum primis verò in hoc peculio, quo & saluberrimè filijs prospexit, & parentibus non in totum jus suum ademit. d. l. cum oportet. C. de bon. que lib. §. 1. f. per quas person. cuiq; acqu.

#### XLIX.

Effectus est jus, quod peculium hoc unicuique tribuit.

Usufructum penes patrem, proprietatem verò penes filium esse, dictum fuit. Videndum itaque erit, quidnam utrumque

que operetur? Et sciendum est, patrem habere plenissimam  
testatem rebus filij utendi fruendique. *l. 2. §. non autem. C. de bon.  
qua lib.* Adeo quidem, ut si quid ex usu earum rerum collegerit,  
licentiam habeat pro lubitu disponendi, atque in alios transmittendi.  
*Enen. pr. 4. c. 4. n. 1.* Nec cautio à patre exigi possit; quia  
paterna reverentia eum excusat à cautionibus alijsque omnibus,  
quæ ab usufructuarijs extraneis leges exigunt. *l. ult. §. fin. autem.  
C. de bon. qua lib. Dn. Carpzov. lib. 5. tit. 3. Resp. 84. n. 15. & p. 2. c. 10. §. 9.*  
Etiam earum rerum, quæ usu consumuntur, propter generalitatem  
*l. ult. & l. cum oportet C. de bon. qua lib.* Quamvis aliàs cautionem  
de Substantiâ quasi usufructus cum *Forster. d. 8. ad Inst. l. 6. 6.  
Don. Enucl. l. 10. c. 4. E. Treul. V. 1. d. 16. 8. 5. E. & ib. Bach. contra Fachin.  
Ungeb. & Harpr. ad §. 2. l. de usufr. n. 15.* esse censeam. Sunt tamen  
bona patris tacite liberis obligata ratione maternorum bonorum.  
*l. 8. §. 4. C. de secund. Nupt. Carpzov. p. 2. C. 24. def. 17.* Et jure Saxonico  
in genere, ratione omnium adventitiorum. *uti patet ex Ord. process. jud. tit. 45. pr. vers. D. Hglichen die Kinder.* Imò si res  
adventitia adhuc extant, & in patrimonio vel hereditate reperiantur,  
jure dominij omnibus alijs præferuntur creditoribus *d. 3. ord. tit. 42. pr. vers. oder es were den Kindern.* Absolutam itaque  
potestatem administrandi habet. *l. cum oportet. §. 2. C. de bon. qua lib.*  
Neque refert liberos ad perfectam ætatem pervenisse. *l. ult. §. 3. C. de bon. qua lib. Dn. Carpzov. p. 2. C. 10. def. 11. n. 1.* Et licet per  
testamentum patri ademptus sit usufructus, nihilominus legitimus  
manet administrator. *l. ult. §. 1. C. de bon. qua lib.* Nisi testator  
rebus illis curate rem assignaverit. *d. def. 11. n. 10. 11.* Neque administrationis  
rationem reddere opus habet. *d. l. oportet. Berlich part. 2. concl. 12. n. 23. Carpzov part. 2. Const. 11. def. 5. n. 1. Dn. Groß. Colleg. Inst. d. 1. q. 9. Munor. de Excubar. tr. de ratione admin. c. 30. n. 23.* Neque  
inventarium conficere. *Dan. Moll. ad Const. Elector. 25. p. 3. n. 6. Scip. Gentil. tr. de bon. matern. c. 11. Rauchb. p. 1. q. 30. n. 32.* Aliter tamen  
res hæc habet in matre tutrice, quæ omnino tenetur ad inventarium,  
etsi legitima liberorum tutrix sit. *Heig. p. 1. q. 2. n. 1.* Cessant enim in matre  
rationes, quæ in patre militant, cum non habeat in potestate liberos,  
& per consequens nullum usufructum in

F

bonis

bonis eorum. *Dn. Carpzov. lib. 6. tit. 7. resp. 70. n. 2. & seq.* Quapropter ad inventarium conficiendum rationesque reddendas ad secunda vota transiens tenetur. *Carpzov. p. 2. C. ii. def. 5.* Ita ut eo deficiente, bona pupilli juramento indicare necesse habeat. *Carp. ib. def. 7. n. 3.* Porro paterita est privilegiatus, ut sine decreto iudicis ac Magistratus ad exercitium administrationis ac rerum gerendarum, etiam nomine liberorum agendo vel defendendo, absq; ullo tutorio admittatur. *Carpz. lib. 5. t. 8. Resp. 84. n. 10.* Etiam absque cautione rati: Nisi filiusfamilias ejus sit conditionis, ut ejus consensus requiratur. *arg. l. 2. §. ult. D. solut. matrim. Carpzov. p. 2. c. 10. d. 14.* Aut pater in causa filij, ut extraneus agat. *l. 14. D. qui suis d. cog.* Ita ut antelitem contestatam procuratorem constituere possit. *Pimell. d. 11. p. 2. n. 65. Dn. Gross, Coll. J. dec. 1. q. 9.* Omnes tamen litis expensas tam magnas, quam modicas prestare tenetur. *Castillo tr. d. usufr. c. 55. n. 5. Harprecht. §. 2. J. de usufr. n. 173.* Quamvis autem pater habeat liberam administrationem peculij hujus, naturalemque possessionem, ratione ususfructus, Quippe naturaliter videtur possidere is, qui usumfructum habet. *l. 12. pr. D. de acqu. vel amit. poss.* haud tamen alienare potest res ipsius. *l. 1. C. de bon. mat. l. 4. §. ult. C. de bon. que lib.* Exceptis rebus mobilibus immobilibusque illis, quæ onerosæ sunt peculio, vel quocumque modo damnosæ, quas sine periculo vendere patri cum paterna pietate licet. *l. ult. §. 5. C. de bon. que lib.* Ex causa etiam æris alieni, alienare potest & debet. *d. l. ult. §. 4.* Hæc autem distractio ritè fieri debet. *d. l. ult. §. 5.* hoc est, secundum ordinem in §. precedente. Ita ut primò mobilia, deinde immobilia, si illa non sufficiant distrahantur. *d. §. 4.* Ad quorum tamen alienationem decreto iudicis non opus habet. *l. ult. §. 4. Gail. 2. O. 72. n. 14. Fachin. lib. 6. c. 40.* Et sic prædicta regula limitatur in causa necessitatis *l. 1. D. de fundo dot. l. 5. pr. D. de pet. hered. l. 3. C. quando decr. opus.* Regulariter enim à quavis dispositione censentur excepta, quæ fiunt causa necessitatis. *l. ult. C. de patr. qui fil. suos distr. Dn. Erantzk. de laudem. c. 16. n. 10. & 11.* Cæterum nullo modo alienatio patri concessa, & non ratum strictè accepta, per quam dominium transfertur, sed qualibet gravatio, e. g. pignoris vel hypothecæ datio.

mod

datio. *l. quaecumq.*, 4. C. de bon. que lib. Ideoque multò minus feudum constituere potest de ijs bonis, cum constitutio feudi sit species alienationis. *Vult. de feud. lib. 1. c. 3. n. 5. Rittersh. part. feud. l. 1. c. 5. n. 2. &c.* Nec emphyteusin concedere. *Enekn. priv. 4. c. 4. n. 5.* Sed an filius res à patre alienatas vindicare, aut pretium earum ex bonis persequi possit? Quod quidem definitum videtur in *l. 4. C. de bon. que lib.* qua non prohibendos ait liberòs, quandocunque sui juris fuerint, nulla temporali prescriptione obstanti, easdem res omnibus modis vindicare, nisi fortè postquam potestate parentum eos contigerit liberari, tantum tempus effluerit, ut ex continuâ & inconcussa tenentis possessione eorum intentio excludatur: quo casu prescriptio tricennalis ijs obstat, si tamen & patriâ potestate soluti, & puberes sint. *l. 1. iuncta aurb. nisi tricennale. C. de bon. mater. & ib. Pin. n. 42. Hartm. Piff. Observ. 205. n. 8. 9.* Et ut rem ipsam vindicare, ita & pretium rei ex bonis patris persequi posse nullum est dubium. *Enekn. d. l. n. 9.* Filius familias verò possidens hoc peculium, proprietatem ipsius quidem habet, alienare tamen illud haudquaquam valet. *l. ult. C. de bon. que lib.* Nisi cum consensu patris, quo casu etiam mortis causa donare potest. *l. 15. §. 1. D. de mortis causa don. Berl. p. 3. concl. 1. n. 7. Tr. Vol. 2. d. 10. §. 2. C. & ib. Bach.* Testari verò nullo modo filiofamilias licitum, etiamsi pater consenserit, nec adjectâ clausulâ codicillari. *Berlich. p. 3. concl. 1. n. 1.* Et quamvis, cum moreretur, suâ potestatis fuerit; quia necessariò testamenti factionem debet habere tunc temporis, quando testamentum fecerit. *pr. Inst. quib. non est perm. fac. testam. & ib. Harprecht. n. 15. &c. cum alleg. Dd. Enekn. pr. 16. c. 2. n. 1. & 2.* Quid verò de rebus, in quibus pater usumfructum non habet, statuendum, an de his testamentum facere possit? Quod quoque negandum puto *per pr. 1. Quib. non est perm. fac. testam. l. 6. l. 16. l. 19. D. Qui testament. facere non poss. Rim. decad. 6. q. 2. Fachin. lib. 3. c. 24. & 25. Bachov. ad Tr. Vol. 2. disp. 10. §. 2. lit. C. Harpr. add. pr. 1. n. 29.* de rebus tamen adventitijs in foro Saxon. liberis à parentibus separatis, testamenti facultas concessa. *Carpzov. p. 2. c. 10. def. 5. n. 5. Schultz. Synops. I. q. non est perm. fac. testam.* Cæterum de rebus pleno jure ad eum pertinentibus pro lubitu disponere & mor-

& mortis causa donare absque consensu patris. *Nov. 117. c. 1. & feudum constituere. Schultz, Synops. feud. c. 4. n. 44.* Nec non quovis modo contrahere. *d. Nov. 117. c. 1.* Excepta mutui acceptione. *l. 1. D. de Scto Maced. agere ac conveniri potest. l. 39. D. d. O. & Ad. 57. D. de Jud.* Ita ut filius familias pecuniam mutuo accipiens, etiam respectu hujus peculij, imò & ipse pater filio succedens, se exceptione Scti Maced. adversus creditores, pecuniam mutuo datam repetentes, tueri possunt. *l. 1. & 9 D. de Scto Maced. Carpzov. p. 2. c. 10. d. 16.* Adeò ut huic beneficio filiusfam. renunciare non possit. *Fachin. 2. contr. 61. & 62. Zang. de except. p. 3. c. 12. n. 67.* Ultimò attingendum, quid circa collationem atque successionem hujus peculij observandum? Quà de re ita sentio, ad peculij adventitij collationem filium non esse cogendum. *l. fin. l. 12. C. de Coll. Schneidew. J. per quas person. cuiq. acquir. Emanuel Mendez de castro in pecul. adv. de coll. ipsius. n. 98.* Quoad successionem, filij ejus & fratres in eo succedunt jure hereditatis. *l. 3. l. 4. l. 6. C. de bon. que lib.* Salvo tamen usufructu patri. *l. 3. & 4. d. t. Riem. d. 3. q. 7.* Et filijs seu fratribus non extantibus parentes veniunt. *l. 4. d. t. Mendez. in pecul. adv. n. 79.* Jure tamen Novell. fratres pariter cum patre & matre succedunt. *auth. defuncto. C. ad Sct Tertull. & Novi. 18. Hottom. Conf. 20. n. 3.* Verum limitatur hæc sententia jure Saxonico. Defuncto enim filio sine liberis succedunt soli pater & mater exculis defuncti fratribus & sororibus etiam utrimque conjunctis. Quod idem obtinet in Avo, Avia & Proavo ac Proavica utriusque generis. *Schneidew. J. de Hered. que ab intest. in Orid. secund. succed. n. 34. 35. Dn. Carpzov. p. 3. C. 17. d. 6. 7.*

Tantum.









X 2615918

VJ 17







DISPUTATIO JURIDICA INAUGURALIS

De

PECULIO

Quam

Decreto, atq; Auctoritate Nobilissimi  
Ictorum ordinis in celeberrimâ Aca-  
demiâ Wittebergenſi,

*Sub Praesidio*

Dn. CHRISTIANI TAVBMANNI

J. U. D & P. P. Curiae Electoralis, Scabinatus, ac Juridi-  
cae Facultatis Assessoris, Praeceptoris, Promoto-  
ris atque Affinis aetatem venerandi.

Pro summis in utroq; jure consequendis

Honoribus ac Privilegiis.

in Auditorio Majori

ad d. Augusti

horis ante & pomeridianis

*publico examini subicit*

CHRISTIAN SIGISMUND Graff  
Lichtenburgo Saxo.

\*\*\*\*\*

WITTEBERGÆ,

Excudebat JOANNES RÖHNERUS, Acad. Typogr. Anno 1647.